C. Valeri Catulli Veronensis carmina

Gaius Valerius Catullus, Bernhard Schmidt

John Arthos

C. VALERI CATULLI
VERONENSIS
C A R M I N A

BERNHARDUS SCHMIDT

RECOGNOVIT

EDITIO MAIOR

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ
LIPSIAE MDCCCLXXXVII.

BERNHARD TAUCHNITZ.

GRIECHISCHE UND RÖMISCHE CLASSIKER

OCTAV-(SCHUL-)AUSGABEN, TASCHENAUSGABEN UND PRACHTAUSGABEN.

November 1887.

ARISTOPHANIS comoediae. Ed. Augustus Meineke.
Octavausgabe. 2 Voll. ℳ 3,00.
Vol. 1. ℳ 1,50. — Vol. 2. ℳ 1,50.
Jede Comoedie einzeln ℳ 0,45.
Taschenausgabe. 2 Voll. ℳ 2,70.
Vol. 1. ℳ 1,20. — Vol. 2. ℳ 1,50.
Jede Comoedie einzeln ℳ 0,30.
Prachtausgabe. 2 Voll. ℳ 7,50.
Vol. 1. ℳ 3,75. — Vol. 2. ℳ 3,75.

DEMOSTHENIS orationes. Edidit Imm. Bekker.
Octavausgabe. 3 Voll. ℳ 4,50.
Vol. 1. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 2. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 3. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Taschenausgabe. 3 Voll. ℳ 4,20
Vol. 1. Pars 1. ℳ 0,60. Pars 2. ℳ 0,60.
Vol. 2. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 3. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Prachtausgabe. 3 Voll. ℳ 11,25.
Vol. 1. ℳ 3,75. — Vol. 2. ℳ 3,75.
Vol. 3. ℳ 3,75.

EURIPIDIS tragoediae. Ed. Aug. Witzschel.
Octavausgabe. 3 Voll. ℳ 3,00.
Vol. 1. ℳ 1,00. — Vol. 2. ℳ 1,00.
Vol. 3. ℳ 1,00.
Jede Tragoedie einzeln ℳ 0,30.
Taschenausgabe. 3 Voll. ℳ 2,70.
Vol. 1. ℳ 0,90. — Vol. 2. ℳ 0,90.
Vol. 3. ℳ 0,90.
Jede Tragoedie einzeln ℳ 0,30.
Prachtausgabe. 3 Voll. ℳ 11,25.
Vol. 1. ℳ 3,75. — Vol. 2. ℳ 3,75.
Vol. 3. ℳ 3,75.

HERODOTI historiae. Ed. Abicht.
Octavausgabe. 2 Voll. ℳ 2,70.
Vol. 1. ℳ 1,35. — Vol. 2. ℳ 1,35.
Prachtausgabe. 2 Voll. ℳ 6,00.
Vol. 1. ℳ 3,00. — Vol. 2. ℳ 3,00.

HOMERI Ilias. Edidit Guilelmus Baeumlein.
Octavausgabe. 2 Partes. ℳ 1,50.
Pars 1. ℳ 0,75. — Pars 2. ℳ 0,75.
Taschenausgabe. 2 Partes. ℳ 1,50.
Pars 1. ℳ 0,75. — Pars 2. ℳ 0,75.
Prachtausgabe. ℳ 5,25.

HOMERI Odyssea. Ed. Baeumlein.
Octavausgabe. 2 Partes. ℳ 1,50.
Pars 1. ℳ 0,75. — Pars 2. ℳ 0,75.
Taschenausgabe. 2 Partes. ℳ 1,20.
Pars 1. ℳ 0,60. — Pars 2. ℳ 0,60.
Prachtausgabe. ℳ 3,75.

LUCIANI Samosatensis opera. Ed. Guilelmus Dindorf.
Octavausgabe. 3 Voll. ℳ 6.30.
Vol. 1. Pars 1. ℳ 1,05. Pars 2. ℳ 1,05.
Vol. 2. Pars 1. ℳ 1,05. Pars 2. ℳ 1,05.
Vol. 3. Pars 1. ℳ 1,05. Pars 2. ℳ 1,05.
Prachtausgabe. 3 Voll. ℳ 13,50.
Vol. 1. ℳ 4,50. — Vol. 2. ℳ 4,50.
Vol. 3. ℳ 4,50.

LYSIAE orationes. Ed. Antonius Westermann.
Octavausgabe. ℳ 1.20.
Taschenausgabe. ℳ 0,90.
Prachtausgabe. ℳ 3,00.

PLATONIS opera. Ed. M. Schanz.
Octavausgabe.

No. 1. Euthyphro, Apologia, Crito, Phaedo.	ℳ 0,60.
No. 2. Cratylus, Theaetetus.	ℳ 0,75.
No. 5. Symposion, Phaedrus.	ℳ 0,45.
No. 6. Alcibiades I. et II., Hipparchus, Amatores, Theages.	ℳ 0,45.
No. 7. Charmides, Laches, Lysis.	ℳ 0,45.
No. 8. Euthydemus, Protagoras.	ℳ 0,45.
No. 9. Gorgias, Meno.	ℳ 0,60.
No. 10. Hippias maior, Hippias minor, Io, Menexenus, Clitopho.	ℳ 0,45.
No. 13. Leges I—VI.	ℳ 0,75.

Kritische Ausgabe.

Vol. 1. Euthyphro, Apologia, Crito, Phaedo.	ℳ 6,00.
Vol. 2. Fasciculus I.: Cratylus.	ℳ 3,00.
Vol. 2. Fasciculus II.: Theaetetus.	ℳ 3,00.
Vol. 3. Fasciculus I.: Sophista.	ℳ 2,00.
Vol. 5. Fasciculus I.: Symposion.	ℳ 2,00.
Vol. 5. Fasciculus II.: Phaedrus	ℳ 2,00.
Vol. 6. Fasciculus I.: Alcibiades I. et II., Hipparchus, Amatores, Theages.	ℳ 3,00.
Vol. 6. Fasciculus II.: Charmides, Laches, Lysis.	ℳ 2,00.
Vol. 7. Euthydemus, Protagoras.	ℳ 4,50.
Vol. 8. Gorgias, Meno.	ℳ 5,00.
Vol. 9. Hippias maior, Hippias minor, Io, Menexenus, Clitopho.	ℳ 3,00.
Vol. 12. Leges I—VI.	ℳ 6,00.

Fortsetzung auf der dritten Seite dieses Umschlages.

C. VALERI CATULLI CARMINA

C. VALERI CATULLI

VERONENSIS

C A R M I N A

BERNHARDUS SCHMIDT

RECOGNOVIT

EDITIO MAIOR

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ
LIPSIAE MDCCCLXXXVII.

PROLEGOMENA.

De vita C. Valerii Catulli Veronensis quae comperta habemus pleraque ipsius carminibus debentur; pauca aliunde accepimus neque ea omnia fide digna.

Ad nomina poetae quod attinet, cognomine suo se ipse saepius adpellavit (conf. index I s. v. 'Catullus'). nomen gentilicium Suetonii in Iul. 73 aliorumque testimoniis constat. de praenomine adhuc variant sententiae. atqui post accuratam Ludovici Schwabii de ea re disputationem in quaestionibus Catullianis p. 9 ss. (conf. etiam H. A. I. Munro in libro qui inscribitur 'criticisms and elucidations of Catullus', p. 68 s.) dubitari non potest quin poeta Gaius dictus fuerit, ut et Hieronymus ad Eusebii chron. a. Abr. 1930, i. e. Suetonius, et Apuleius apol. c. 10, p. 15 Kr. tradunt. contra quorum testium consensum nihil valet quod, cum meliores codices Catulliani solum cognomen poetae praebeant, quattuor libri recentissimi et multifariam interpolati, Datanus, Riccardianus, Cuiacianus, Colbertinus (hic accessit ex Ellisii adparatu) praenomen Quinti in fronte exhibent. quod veri simile est e Plinii natur. hist. XXXVII 6 81 adscitum esse, ubi, cum codex omnium optimus Bambergensis haec a scriptore profecta esse doceat, *Nonius senator, filius strumae Noni eius quem Catullus poeta in sella curuli visum indigne tulit* (conf. Catull. c. LII 2), libri aliquot recentes Q. notam cognomini poetae praefixam habent, quam sive Catulli cum Q. Catulo confusione sive fortuito errore propter antecedens pronomen relativum perfacili ortam esse probabilis est suspicio. quae cum ita sint, Scaligeri in Catulli c. LXVII 12 coniecturam Lachmanno aliisque probatam omni fundamento carere adparet.

Veronae natum esse Catullum Hieronymus l. c. dicit, eamque urbem patriam eius fuisse multis aliorum testimoniis, velut Ovidii amor. III 15 7, et codicum Catullianorum inscriptionibus et ipsis etiam carminibus Catullianis confirmatur, quae Transpadanum poetam fuisse (c. XXXIX 13), Veronae saepius consedisse (c. XXXV 3 ss. LXVIII 27), res Veronenses bene cognovisse (c. LXVII et C), prope eam urbem in Sirmione

paeninsula quae in Benacum lacum procurrit villam possedisse (c. XXXI) produnt.

Natales eius Hieronymus ad annum Abr. 1930, i. e. ab u. c. 667, 87 a. Chr. nat. adscripsit. quae temporis definitio utrum probabilis sit necne etsi tum demum, cum ad fatalem annum Catulli constituendum disputatio progressa erit, diiudicari potest, quoniam ambae quaestiones artissime inter se cohaerent, tamen statim dicam habere me cur poetam quinque annis post natum esse existimem.

De educatione eius nihil est traditum. inde ab accepta toga virili carminibus amatoriis se operam dedisse ipse confitetur c. LXVIII 15 ss. ceterum adulescentulum etiam eum Romam commigrasse patet, neque mihi dubium est quin ibi Valerii Catonis grammatici, popularis sui, disciplina usus sit, qua de re infra explicatius agere in animo est. atque in hoc orbis terrarum capite perpetuum suum domicilium conlocavit, ut ipse ait l. c. v. 34 s.: 'Romae vivimus: illa domus, Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas.' Romae, ut post videbimus, etiam mortem obiit. sed patriam urbem saepius revisit, suntque aliquot eius carmina Veronae aut in Sirmione condita.

Catullum honesta et satis locupleti familia oriundum fuisse conplura sunt quae doceant. patris eius hospitio C. Iulium Caesarem uti consuevisse Suetonius in huius vita c. 73 narrat. ipse poeta praeter possessionem in Sirmione paeninsula supra commemoratam etiam prope Tibur in confinio Latii et terrae Sabinae fundum habebat, cuius in c. XLIV mentionem facit. Romae haud dubie suis opibus sine ullo quaestu vivebat, multorumque hominum genere, dignitate, divitiis florentium ibi consuetudine utebatur.

Maximi ad totam Catulli vitam momenti erat eius amor mulieris cui nomen indidit L e s b i a e. carmina quibus ea nominatim adpellatur sunt haece: V. VII. LI. LXXII. LXXV. CVII. praeterea commemoratur Lesbia in his item sex numero carminibus: XLIII. LVIII. LXXIX. LXXXIII. LXXXVI. XCII. satis magnus vero est carminum numerus quae, etiamsi nomen Lesbiae non contineant, tamen sive ob argumenta universa sive ob singulas quasdam significationes quin ad eandem mulierem spectent dubitari non potest. sunt autem praeter duo ista de passere amatae puellae celeberrima poematia II et III, quae Martialis insuper epigr. VII 14 3 s. et XIV 77 diserte ad Lesbiam rettulit, haec potissimum carmina: VIII. XI. XXX. XXXVI. XXXVII. LXVIII. LXX. LXXVI. LXXVII. LXXXII. LXXXV. XCI. C 5 ss. (conf. LVIII et LXVIII 53). CIV. CIX. neque etiam errabimus, puto, si carminis LXXIII argumentum cum eodem

amore cohaerere censemus. incertius iudicium de carmine XL est, in cuius versu 7 Catullus praeter suam in designanda Lesbia consuetudinem 'meos amores' dixit. quare Guil. Vorlaenderus in dissertatione de Catulli ad Lesbiam carminibus Bonnae a. 1864 publicata p. 19 n. hoc poematium praetulit ad Iuventium referre, qui ita denotatur c. XV 1 et XXI 4. quamquam eam locutionem per se etiam de Lesbia adhiberi potuisse concedendum est. conf. c. XLV 1 et LXIV 27. deinde nulla omnino causa est cur c. XIII 11 Lesbiam intellegi arbitremur. denique carmen XLII, in quo Catullus mulierem pugillares suos sibi reddere nolentem gravissimis insectatur verborum contumeliis, miramur fuisse qui ad eam pertinere sibi persuaderent cui poeta c. CIV maledicere se posse negat.

Iam qualis Lesbia haec fuerit quasque Catulli erga eam amor vicissitudines habuerit secundum ea carmina quae certo aut magna cum probabilitate ad istam mulierem referri diximus ante oculos ponere conabimur, unde simul cognoscetur quam de ordine quo haec poemata sese excipere videantur sententiam in universum mente formaverimus: nam singula omnia qui accurate temporibus divisa se explicare posse opinatur operam perdiderit.

Lesbiam a Catullo amatam nuptam mulierem fuisse atque nobilem certissimum est, neque possum satis mirari nuper rursus extitisse qui utroque temere negato de libertina et meretricula vulgari cogitare mallet. quid? ad talem mulierem carminis V initium quadrare putabimus, ubi poeta puellam suam ad vitam voluptatemque abiectis omnibus scrupulis fruendam exhortatur hoc modo, 'Vivamus, mea Lesbia, atque amemus, Rumoresque senum severiorum Omnes unius aestimemus assis'? quibus verbis amorem veterum quoque iudicio inlicitum significari manifestum est. neque vero quae c. VIII 14 ss. de separatae a se puellae tristi solitudine praedicit poeta intellectum habent, nisi ad mulierem vitae condicione circumscriptam, cui non scorti instar quovis temporis momento cuivis alii sese dedere liceret, missa esse existimantur. quodsi quis ista 'cui videberis bella? Quem nunc amabis? cuius esse diceris?' et similia nuptae mulieri dici miratur, non est id mirum propterea quia Catullus maritum Lesbiae omnino non numerat, quippe quem ab illa non diligi aut noverit aut pro certo habeat. quem quanto opere contempserit c. LXXXIII patefacit, ubi 'fatuum' et 'mulum' vocat. non veremur enim ne quis cum A. Riesio annal. philol. t. CV, p. 753 'virum' Lesbiae in hoc poematio commemoratum non coniugem eius, sed nescio quem priorem amatorem intellegat. quae opinio quam perversa sit, id, ut alia mittam, carminis

LXVIII v. 143 ss. demonstrant, ubi poeta eram suam non iustis nuptiis sibi iunctam raris noctibus furtiva munuscula dedisse ait 'ipsius ex ipso dempta viri gremio', quae verba non posse nisi de marito dicta esse id ipsum quod opponitur efficit. eadem in elegia Catullus cum puella sua apud dominam quandam, cuius nomen reticet, se convenisse eamque sibi copiam ab Allio amico factam esse testatur (v. 67 ss. 156), quod quidem beneficium tanti aestimat ut illum summis extollat laudibus. quae res id quod de genere et condicione Lesbiae diximus verissimum esse docet, quoniam, si illa innupta atque e vulgo fuisset, occasionis cum ea congrediendi tarditatem opperiri minime opus erat. neque eum qui intento animo poetam legere consuevit quaesita illa obscuritas fugiet in adferendis eis quae ad istos conventus spectant conspicua (conf. v. 51 ss.). ceterum non solum ex hoc carmine, sed etiam ex aliis non nullis, ad quae mox disputatio progredietur, perspicitur Catullo, priusquam amore suo frui posset, maximas difficultates superandas fuisse, nimiumque se gestire ipse c. LI 14 confitetur. porro votum puellae c. XXXVI enarratum, de quo infra accuratius agemus, eam ingenio haud absurdo nec eruditionis expertem fuisse ostendit. denique totus omnino sonus carminum ad Lesbiam pertinentium de humili femella cogitare nos vetat, neque existimari potest poeta summam istam modestiam qualem carminis LXVIII haec inde a v. 135 verba produnt, 'quae tamen etsi uno non est contenta Catullo, Rara verecundae furta feremus erae, Ne nimium simus stultorum more molesti', mulieri semet inferiori et iam perfidae exhibiturus fuisse. haec omnia qui coniuncta animo reputaverit, ei Lesbiam penitus persuasum erit non amicam vulgarem fuisse pecunia donisque conciliandam, sed matronam nobili loco ortam, ad quam aditus esset difficilior et periculosior. forma eius cum aliis locis tum c. XLIII et LXXXVI praedicatur. cuius generis laudibus etsi per se non ita multum tribuendum esse concedimus, quando omni fere amanti puella amata solet pulchra videri, tamen, quia duobus illis poematiis Lesbia cum aliis mulieribus conparatur singularumque corporis virtutum quaedam quasi recensio fit, eam re vera formosissimam fuisse existimamus, idque etiam ardentissimo erga hanc feminam amore Catulli atque maximo aemulorum quos habuit numero (conf. in primis c. XI 18 et XXXVII 7 et 15) quodam modo confirmatur. ceterum quae c. XLIII decoctoris amicae Formiani deesse dicuntur pulchritudinis signa, Lesbiae omnia adfuisse necessarium est concludere: eam igitur cum aliis corporis bonis tum nigris oculis insignem fuisse contendimus. huic autem candori iunctam fuisse venustatem illam quae in lepore facetiisque cernitur poeta c. LXXXVI

declarat, inlustraturque talis ingenii facultas Lesbiae iocoso eius voto, cuius supra mentionem incohavimus.

His in universum expositis tutius iam ad singula temporum ordine, quoad eius fieri poterit, enarranda transire licet. quonam modo factum sit ut Catullus Lesbiam primum conspiceret nosceretque, etsi nobis non traditur, veri tamen simile est eum ad coniugem illius introductum esse. quamquam ex c. LXXXIII 1 iniuria hoc colligitur. ubi quod poeta Lesbiam sibi praesente viro mala plurima dicere narrat, id non ita intellegendum est, tamquam ea visendi gratia domum mariti sui ingresso coram maledixerit; cui quidem interpretationi ista quae v. 3 et 5 s. leguntur repugnant, ita ut ab amicis potius de Lesbiae in se conviciis comperisse Catullum sumendum sit. sed qui carminis XXX rationem probe perspectam habet — explicavit autem eam in universum rectissime Adolphus Kiesslingius commentationum in honorem Theodori Mommseni scriptarum p. 354 —, is vix dubitabit quin Alfenus, quem P. Alfenum Varum Cremonensem, iurisconsultum clarissimum, esse merito credunt, popularem suum ad Lesbiam deduxerit (conf. praeter v. 7 s. in primis verba 'tua dicta omnia factaque' v. 9): certe is spem huius mulieris sibi conciliandae Catullo attulisse suumque ipse in ea re auxilium, si quo opus foret, promisisse putandus est. consequens autem erat ut fervidus adulescentis animus venustate Lesbiae celerrime caperetur. cuius gratiam ut sibi colligeret, misit ei c. LI e Sappho expressum, quo amorem suum ardentissimum libere confitetur. nec multo post duo de passere poematia conscripsisse potest. in quorum quidem priore etsi redamari se significat, tamen tristes animi sui curas memorat desiderioque puellae se tabescere ostendit (II 7—10). verum Lesbia cupiditati poetae initio non modo non satis fecit, sed etiam propter audaciam eius importunitatemque succensuit, ut ex c. LXXXIII perspicitur, quod errant qui posteriori tempori attribuunt: namque coram marito illam Catullo maledixisse, postquam cum eo iam rem habuisset, parum est credibile. eodem fere tempore c. XXX scriptum putamus, quo Alfeni Vari qui promissis non steterit perfidiam conqueritur. cui sententiae si quis id obstare existimet quod hoc carmen summam animi aegritudinem prodat, illud contra aliquid insolentiae atque lasciviae habeat, respondemus talem motuum varietatem in amantibus minime miram esse. sed mox pro Alfeno alius extitit amicus, qui apud dominam quandam, fortasse sororem suam, in cuius aedibus ipse amori suo indulgebat, Catullo quoque secure cum Lesbia conveniendi copiam faceret: is erat M' Allius ille quem poeta c. LXVIII ad immortalitatis memoriam consecravit. conf.

adnot. critica. neque Lesbia hac opportunitate sibi ut matronae commoda uti noluit. iam Catullus voti tandem compos felicitatem suam pulcherrimis carminibus V et VII exprimit. verum tempore aliquo praeterlapso Lesbia ab illo sese removit, neque tamen fortasse eo consilio ut aliis amatoribus se dederet. certe poeta cum c. VIII, quod ad hanc puellae ab ipso alienationem pertinet, conscriberet, nondum ullo modo de perfidia eius cogitabat, ut versus 14—18 liquido demonstrant. quodsi quis ad primos carminis V versiculos animum intenderit, eo potius inclinabit ut Lesbiam rumoribus quibusdam de sua in maritum infidelitate territam esse aut amoris Catulli pertaesam coram eo tale quid simulasse statuat. inter hoc discidium videtur c. XCII scriptum esse. quod ne eodem tempore quo c. LXXXIII factum putem, ipsa argumenti congruentia, propter quam plerique ad hanc opinionem deducti sunt, me prohibet. neque id in posterius illud tempus quadrat cui c. LXXXV argumento simile, sed quod multo vehementiores animi motus testificetur, attribuendum est. nam verba 'deprecor illam Adsidue,' quae verbis 'Lesbia mi dicit semper male', ut iam Gellius VII 16 13 H. intellexit, accurate respondent, non sunt indignabundi de perfidia mulieris, sed ad solitas amantium iras pertinent. nihilo minus alienationem eorum aliquantum temporis duravisse putandum est. iam enim Catullus spem in gratiam cum Lesbia redeundi deposuerat. tamen fefellit eum opinio. puella insperanti ultro sese restituit (c. CVII). reconciliatio amantium c. XXXVI lepide celebratur; in quo qui v. 5 memorantur truces iambi a poeta vibrati, de eis qui ad nostram aetatem pervenerunt non dubium esse potest quin versus hipponactei carminis VIII intellegendi sint. haud multum post restitutam concordiam Catullus c. CIV in hominem quendam invehitur qui quod sequius aliquando ille de Lesbia locutus erat inepte evulgasse videtur. in cuius epigrammatis versu extremo quid sit 'omnia monstra facis' conplures interpretes perspexerunt. sed Tapponem ibi commemoratum quod omnes pro uno ex sodalibus Catulli habent, adsentiri non possumus, quamquam cognomen Romanum illud fuisse haud ignoramus. permirum est enim quod is quem poeta in hoc carmine compellat, sed non nominat, levissima quaeque verbis exasperare dicitur cum alio nominatim adlato, neque eius rei quae sit ratio ullo modo intellegitur. videor autem mihi id quod verum est eruisse ope fragmenti inscriptionis cuiusdam Vercellis reperti et a Theodoro Mommseno tractati in consessu societatis archaeol. Berol. die VI. mensis Iunii anni 1882 habito, de quo relatum est in ephem. archaeol. t. XL, col. 176. ex ea enim inscriptione, quae secundum litterarum formas Augusti temporibus videtur

adsignanda esse, recte haud dubie Mommsenus collegit Tapponem sollemnem figuram iocularem in conviviis Romanorum fuisse, nec Tappulam legem cuius Lucilius p. 158 L. Muell. meminit adferre omisit. quodsi eiusdem figurae in versu Catulliano mentionem fieri statuimus, et illa quam tetigi difficultas removetur et plus profecto epigrammati lucis maiusque acumen accedit. tum enim poeta sibi 'in ioco atque vino' inprudens aliquod de Lesbia verbum excidisse significat simulque eum qui id cupide arripuerat lepido modo traducit. sed ut redeamus ad propositum, iam puella, etsi sua sponte in gratiam cum Catullo reverterat, simul cum aliis rem habere aut Catullus id suspicari coepit. huic tempori c. CIX attribuo, quod cum scriberet poeta, primum de fide Lesbiae subdubitasse videtur, ut recte me iudice statuit O. Ribbeckius libelli sui de Catullo p. 56, n. 23. non ita multo post, cum Catullus propter immaturam fratris dilectissimi mortem, qui prope Rhoeteum promunturium in terra Troiana incertum naufragio an morbo an alio casu perierat (conf. c. LXV 5 ss. LXVIII 19 ss. 91 ss.), Roma derelicta Veronae consideret (conf. c. LXVIII 27 ss.), Lesbiam se uno non esse contentam iam noverat. sed 'rara' eius furta modeste ferre constituit seque ipse vario modo de ea re consolari studet (ibid. 135 ss.). verum post longiorem in urbe patria commorationem — nam solito diutius eum tunc Veronae mansisse non tantum e gravissimo luctu domestico, sed inde etiam colligendum est quod Alexandrinorum poetarum studio deditus carmina LXV et LXVI et LXVIII eo tempore illic conposuit — cum Romam tandem redisset, res suas ibi in peius mutatas repperit puellaeque amatae animum magis magisque a se abalienari intellexit. primis his post reditum temporibus c. LXX condidisse videtur, in quo quod illa animi videlicet poetae permulcendi causa dicat nulli se nubere malle quam ipsi, id in vento et aqua scribendum esse censet. deinde quo clarius Lesbiae perfidiam ac turpitudinem dispicit, eo acerbius de ea queritur. huc referenda sunt carmina LXXII, LXXV, LXXXV, in quibus admirabile est quanta cum arte et quam vere miseri amoris sui condicionem adfectuumque repugnantiam descripserit: in primo enim caritatem olim fideli puellae praestitam se abiecisse, sed ardore perfidae vehementius etiam incendi significat, in altero Lesbiae culpa factum esse dicit ut iam nec bene velle ei nec amare desistere possit, in tertio simul et odisse et amare cum cruciatu sui se confitetur. summum autem dolorem suum de corruptissimis Lesbiae moribus c. LVIII Caelio amico declarat, quem popularem Catulli fuisse c. C docet. iam vero cum perniciosum hunc erga mulierem semet plane indignam amorem abiciendum esse intellegat neque tamen abicere

sustineat, c. LXXVI, quo non invenitur in poesi Romana praeclarius, primum conscientia fidei non violatae se consolatus ipse animum strenue confirmat ut desinat miser esse, tum deorum auxilium ad recuperandam sanitatem pulcherrimis versibus inplorat. atque contigisse post gravissimum animi laborem tandem aliquando Catullo ut taetrum istum morbum, quem ad modum ipse amorem suum dicit, deponeret, ex c. XI perspicimus, quod omnium quae ad Lesbiae amorem spectant ultimum esse primus recte animadvertit Iungclaussenus in programmate Meldorfensi a. 1857 publicato p. 16. nam carminis XLIII fortasse post scripti singularis est ratio, ut mox videbimus. nec sine certo consilio instituisse videtur poeta ut postrema ad puellam suam verba, quibus sedate atque frigide eam cum innumerabilibus moechis suis vivere valereque nec ipsius amorem amplius respectare iubet, eodem metro sapphico includeret quo in prima ardoris sui confessione (c. LI) usus esset. ceterum etsi verissimum est quod primus demonstravit A. F. Naekius opusc. I, p. 104 s., Catullum primarum quattuor stropharum magnificentia Furii et Aurelii, hominum egentissimorum, importunam adsiduitatem perstringere voluisse eisque contemptus sui significandi causa ista 'non bona dicta' puellae suae nuntianda mandavisse, tamen hoc ad plenam miri carminis intellegentiam nondum sufficit. vix autem quicquam poemati ad perspicuitatem deesse videtur, si cum Schwabio l. c. p. 129 aliisque Lesbiam sumimus illo tempore in gratiam cum Catullo redire conatam esse. eique coniecturae a v. 21 satis praesidii accedit, in quo verbum quod est *respectare*, ut totius strophae sententia docet, non 'rationem habere', sed 'expectare' significat. relicum est ut de carminibus XLIII et LXXXVI agatur, quibus minus accurate consideratis facile aliquis adduci potest ut Catullum eodem tempore quo Lesbiam amaret cum aliis quoque mulieribus rem habuisse opinetur, id quod Ovidio accidit, qui trist. II 429 s. de illo haec dicit: 'nec contentus ea (Lesbia) multos vulgavit amores, In quibus ipse suum fassus adulteriumst.' istorum poematiorum prius in provincia Transpadana scriptum (conf. v. 6) ad Ametinam puellam, decoctoris Formiani, i. e. Mamurrae, amicam, spectare conparatio inter hoc et c. XLI instituta demonstrat. ea igitur puella, favore Mamurrae, hominis divitissimi, superba facta, Catullum amore suo frui cupientem maximam pecuniae summam poposcerat. quam cum dare poeta aut nollet aut non posset, ira commotus illam c. XLI tamquam insanam tractat, c. XLIII autem omni pulchritudinis laude privare studet ineptissimeque eam cum Lesbia sua conparari dicit. vix autem potest dubium esse quin duo haec in Ametinam poematia non

ita multum ante c. XXIX conposuerit, in quo Mamurrae luxuriam et libidinum intemperantiam castigat (conf. in primis v. 6 ss.), quamquam id ipsum non Veronae, sed Romae natum esse certum est. iam cum poeta c. XXIX, ut infra videbimus, prius quam autumno anni 699/55 scribere non potuerit, probabiliter autem sub finem huius ipsius anni aut proximi initio scripserit, adparet eum, cum c. XLIII faceret, iam a Lesbia prorsus aversum fuisse. nam c. XI, quod Catulli erga illam amorem extinctum ostendit, propter res gestas ibi partim memoratas partim significatas eidem anno 699/55 attribuendum est (conf. praeter Iungclaussenum l. c. Schwabius p. 128). itaque cum Catullus c. XLIII 7 mirabundus vel indignabundus exclamat 'tecum Lesbia nostra conparatur?', cavendum est ne inde eum etiam tunc cum illa coniunctum fuisse concludamus, sed simulavit hoc poeta, ut repulsam quam a puella provinciali tulisset admodum lente ferre posse videretur, quoniam Romae multo pulchrioris elegantiorisque mulieris amore frui sibi liceret. cui interpretationi quid iure opponi possit non video. sed fac eam falsam esse: ne tum quidem sequitur poetam eo tempore quo c. XLIII scriberet cum Lesbia quicquam etiam rationis habuisse. nam venustatem eius, de qua sola in hoc poematio agitur, dirempto quoque cum illa foedere conlaudare poterat, neque quod 'Lesbia n o s t r a' dicit magis mirum est quam illud 'm e a e puellae' in eo carmine in quo Lesbiae amorem in perpetuum renuntiat (XI 15). utroque enim loco, cum ita dicit, simul carmina sua iam in vulgus nota, quibus olim hanc mulierem cantaverat, respicit. ceterum fieri potest ut ista puella Veronensis cum Lesbia conparata sit a non nullis iuvenibus Transpadanis qui una cum Catullo Romae vixerant illamque noverant. similis explicatio carmini LXXXVI quoque adhiberi possit, in quo facta inter Quintiam quandam et Lesbiam contentione Lesbiae palma datur. verum ex hoc poematio omnino non efficitur ut Catullus Quintiam istam aliquando amaverit aut gratiam eius sibi conciliare studuerit, probabiliusque mihi videtur illum ex dissensione inter sodales de forma utriusque mulieris exorta causam petivisse ut suam de ea re sententiam poetice exornaret. quod si recte se habet, c. LXXXVI aptissime ei tempori adsignabimus quo poeta Lesbiam deperibat nec iam occasionem libere cum ea conveniendi nactus erat.

Eadem tempestate qua Catullus Lesbiae in se perfidiam in dies ingravescere videbat magnum carminum numerum contra aemulos emisit, inter quos erant qui se sinceros poetae amicos esse simulassent. etiam haec carmina quo ordine se excipiant cum ex singulis quibusdam versiculis tum ex toto omnino sono

eorum in universum intellegi potest. unum de primis c. LXXXII esse adparet, in quo Quintium quendam obsecrat ne sibi eripiat quod ipsi multo carius sit oculis. nam hoc quoque poematium ad Lesbiam, non ad Aufilenam, ad quam vulgo referri solet, spectare iure contendit Ribbeckius l. c. Quintium autem hunc Catulli popularem fuisse ex c. C, quod aliquot annis post, plane dissoluto poetae cum Lesbia amore, Veronae conpositum est, perspicitur, eodemque ex epigrammate probabiliter colligere videmur istum hominem precibus amantis olim non obtemperavisse (fortasse igitur ad eundem pertinet etiam c. LX, scriptum scilicet a poeta postquam verba se perdidisse cognoverat), cum Caelius contra item Veronensis illo tempore quo una cum Catullo Romae degeret verum ei amicum sese praestaret, sive oranti morigeratus a Lesbiae amore se abstineret sive quamcumque ea in re operam navaret. a carmine LXXXII modico temporis intervallo distare videtur XL, si quidem omnino huc pertinet, in quo poeta Ravido cuidam poenam minatur, quia suos amores amare voluerit. alium rivalem Catullus habebat Gellium quendam, quocum multo usu coniunctus fuerat (conf. c. XCI 1 s. et 6 s.). is non contentus cum Lesbia adulterare ipsum etiam versibus, ut videtur, in eum factis cavillatus est. quem ut leniret, ei ut homini studioso carmina quaedam Callimachi in patrium sermonem conversa mittere constituit. sed postquam hunc laborem frustra sibi sumptum esse intellexit, eisdem telis, at multo efficacioribus, se contra illum usurum esse praedicit (c. CXVI, in cuius v. 1 illud *studioso* non cum *animo* vocabulo, ut quidam inepte putant, sed cum *tibi* pronomine coniungendum est), easque minas postea executus est acerbissimis epigrammatis in Gellium scriptis, in quibus stupra cum uxore patrui, cum matre, cum sorore commissa et fellandi libidinem ei obicit (c. LXXIV. LXXX. LXXXVIII—XCI). hunc Gellium, ut id statim addam, veri simile est fuisse L. Gellium, L. Gellii Poplicolae, consulis a. 682/72, filium, quem Valerius Maximus V 9 1 narrat a patre propter stupri in novercam commissi et parricidii cogitati suspicionem in consilium senatorium ad causam dicendam vocatum ab eoque absolutum esse. nam praeter illud incestus crimen etiam aetas utriusque convenit, quando annis 695/59 et 696/58, quibus, ut infra adparebit, omnia carmina contra amatores Lesbiae emissa attribuenda sunt, L. Gellius, Poplicolae filius, non potest non adulescens fuisse, utpote qui a. 718/36 consulatum gesserit, Catullianum autem Gellium in flore iuventutis fuisse cum per se intellegitur, tum carminis LXXX initium docet. conf. Schwabius l. c. p. 110 ss. et Eduardus a Brunér in actorum societatis scient. Fennicae t. VII, p. 622 s., qui ambo

huius sententiae olim ab Octavio Pantagatho prolatae patrocinium susceperunt. sed ut illuc unde abii redeam, summo adfectus est Catullus dolore, cum etiam Rufum suum, cui ut amicus amico firmiter confisus esset, dolo malo usum cum Lesbia moechari videret. quare eum c. LXXVII vitae suae crudele venenum atque pestem amicitiae suae (i. e. foederis cum Lesbia, ut recte interpretatus est Hauptius opusc. I, p. 215) vocat. ut autem hoc epigrammate simul os inpurum Rufo exprobrat, si quidem versus 7—10 in codicibus carmini LXXVIII falso adnexos recte huc traiecit Scaliger, ita eum c. LXIX tamquam alarum hirco laborantem deridet et c. LIX propter inpudicissimum cum misera quadam muliercula commercium perstringit. praeterea qui cum c. LXXVII conparaverit c. LXXIII, ubi poeta de amici cuiusdam, cuius nomen non adfert, ingrato animo acerbe queritur, vix dubitabit hoc quoque ad eundem Rufum referre. quod si recte se habet, id poematium eorum quae ad Rufum pertinent manifesto primum est, perspiciturque ex eo illum hominem acceptis beneficiis Catullo obstrictum fuisse. restant pauca eius modi carmina, quae, etsi quam maxima probra continent nec ipsius Lesbiae famae ullo modo consulunt, tamen quadam quoque hilaritate conspersa tranquilliorem poetae animum produnt. sed est ea tranquillitas quae vitae quasi undas et tempestates sequi soleat. itaque ista carmina omnium contra rivales missorum extrema esse iudicamus illique tempori attribuimus quo Catullus puellam olim a se amatam 'tantum quantum amabitur nulla' propter insanabilem eius inpudicitiam iam non poterat non contemnere. sunt autem carmina XXXVII et LXXIX, in quorum altero poeta 'Lesbium' propter illud libidinis genus quod Attici γλωττοποιεῖν vocabant cum Lesbia exercitum inridet, cum in priore omnes omnino puellae sibi infidelis amatores castiget. quorum ex ingenti numero quem unum nominatim adfert Egnatium Celtiberum, eundem cavillatur, et quidem consimiliter, etiam in c. XXXIX, unde hoc quoque epigrammatis contra rivales scriptis adnumerandum nec diverso tempore factum esse patet. ceterum cavendum est ne salacem istam tabernam in c. XXXVII commemoratam cum plerisque de lupanari aut ganea intellegamus. etenim tali loco si Catullus dicere voluisset Lesbiam cum amatoribus suis convenire, parum apte profecto addidisset indignum esse quod illi omnes 'pusilli et semitarii moechi' essent, quibus verbis homines designantur qui cum vulgaribus mulierculis rem habere consueverunt. itaque haec verba, quemadmodum denuo confirmant quod supra demonstravimus, Lesbiam ex eo numero non fuisse, sic tabernae nomen proprie dictum putare nos vetant. videtur igitur domus

aliqua amplior, in qua crebro convivia agitabantur quibus Lesbia quoque intererat, per ludibrium 'salax taberna' vocari. neque eius modi translatio per se inprobabilis est, saepeque Romani vocabulis a *taberna* deductis *contubernium* et *contubernalis* ioculariter vel ironice usi sunt. augetur vero huius coniecturae probabilitas verbis eis quibus Catullus situm tabernae indicat, cum dicit 'a pilleatis nona fratribus pila.' quod significandi genus cautae cuiusdam circumlocutionis speciem habet, praesertim cum in quamnam urbis regionem ab aede Castorum derigamur obscurum sit. atque hoc quidem rectissime iam Brunerus l. c. p. 628 perspexit, sed erravit eo quod ipsam domum Lesbiae significari putavit, cui sententiae v. 14 aperte repugnat.

Iam explicatis ac dispositis eis quae ipsa carmina Catulliana de Lesbia subgerunt ad illam quaestionem quae in persona huius mulieris definienda versatur transire licet. 'Lesbiam' fictum nomen esse per se adpareret, etiam si non testaretur Ovidius trist. II 428. neque dubitari potest, praesertim cum primum omnium carminum ad Lesbiam missorum e Sappho expressum sit, quin Catullus celeberrimae poetriae Lesbiae studio adductus sit ut puellam suam honorifico illo nomine in versibus suis insigniret. quae quidem rei explicatio iam ab Isaaco Vossio observat. p. 189 proposita plene sufficit, nec opus est ad vilissimum Apollinaris Sidonii testimonium confugere, qui epist. II 10 extr. Lesbiam una cum Catullo versus fecisse narrat. verum autem puellae nomen fuisse Clodiam Apuleius apol. c. 10 tradidit, ut eiusdem nomen mensurae pro germano a poeta substitutum esse videamus, quo alterum salvo metro cum altero commutari posset, qua de ratione ab aliis quoque poetis Latinis praecipue in designandis puellis suis adhibita primus Bentleius ad Hor. carm. II 12 13, post alii exposuerunt. Clodiam vero hanc Catulli esse sororem istam P. Clodii Pulchri 'quadrantariae' cognomine famosam hodie inter plerosque constat. quam sententiam iam saeculo sexto decimo a Petro Victorio aliisque in medium prolatam, nostra aetate per Mauricium Hauptium ab oblivione vindicatam Ludovicus Schwabius in quaestionibus Catullianis ampla atque diligenti disputatione haud mediocriter stabilivit, etsi nec optimam omnino argumentandi rationem iniit et falsa quoque admiscuit. neque quae postea Vorlaenderus in dissertatione supra adlata, Tammo Tammerus Kroonius in quaestionibus Catullianis Lugduni Batavorum a. 1864 publicatis, denique Alexander Riesius in annal. philolog. t. CV, p. 747 ss. in contrariam partem disputaverunt ita sunt conparata ut ad refutandam illam sententiam quicquam valeant, eiusque rursus defensores extitere Aemilius Baehrensius in analectorum Catullianorum

Ienae a. 1874 editorum capite primo, Carolus Paulus Schulzius in annal. scholast. Berolinens. t. XXVIII, p. 699 ss., qui ambo Riesii maxime argumentationem sane levissimam inpugnaverunt, Robinson Ellisius in prolegomenis commentarii Catulliani p. LV ss., Munro in libro 'criticisms and elucidations' p. 194 ss. conf. etiam H. Magnus annal. philol. t. CXIII, p. 402 ss. et Fr. Schoellius ibid. t. CXXI, p. 482. iam omni nugatorio disputandi genere procul habito ea argumenta conponamus quae ad solvendam hanc quaestionem in primis apta esse censemus. vidimus Lesbiam Catulli mulierem nuptam atque nobilem fuisse, eandemque pulchram et facetam, sed quae effrenata libidine praeceps acta paullatim ad scorti vulgaris indignitatem delaberetur. cui cum verum nomen teste Apuleio fuerit Clodiae, si eiusdem nominis mulierem poetae aequalem novimus in quam ista omnia accuratissime quadrent, hinc, nisi alia argumenta obstant, utramque unam eandemque esse iure nostro sumere possumus. Clodiae autem quadrantariae originem, condicionem, formam, indolem, mores plane respondere eis quae de Lesbia ex carminibus Catullianis eruimus quis est qui infitias eat? scimus illam ex antiquissima et nobilissima gente Claudiorum patricia ortam Q. Caecilio Metello Celeri, praetori a. 691/63, consuli a. 694/60, propinquo suo, nuptam fuisse. quod matrimonium parum felix fuisse Cicero auctor est, qui eo ipso anno quo Metellus consul erat ad Atticum II 1 5 Clodiam seditiosam esse et cum viro bellum gerere scribit. eademque in epistula quam inverecunde cum P. Clodio de ea iocatus sit narrat. nam cum ille questus esset quod soror, quae tantum haberet in spectaculis consularis loci, unum sibi solum pedem daret, 'noli', inquit Cicero, 'de uno pede sororis queri; licet etiam alterum tollas.' quod 'non consulare' dictum documento esse potest Clodiam iam illo tempore fama haud sincera fuisse. itaque, cum anno insequenti Metellus repentina morte absumptus esset, facile sane rumor existere potuit eum ab uxore veneno necatum esse. certe Cicero in oratione pro M. Caelio Rufo habita § 60 id flagitium haud obscure significavit, ipsumque Caelium, cum in iudicio contra calumniam Clodiae se defenderet, eam 'quadrantariam Clytaemnestram' vocasse Quintiliani in inst. or. VIII 6 53 testimonio constat. at enim causa haec Caeliana anno demum 698/56, h. e. tribus annis post obitum Metelli, acta est, antea autem qui suspicionem istam moverit neminem novimus. neque vero Caelius a veneficae nimirum mulieris amore abhorruerat, nam eius cum Clodia familiaritatem inter annos 695/59 et 697/57 maximeque in annum 696/58 cadere Schwabius qu. Cat. p. 66 s. rectissime statuit. huc accedit quod, si Clodia interfecti per venenum

mariti sibi fuisset conscia, parum probabile est eam Caelium, ut infidelem amatorem ulcisceretur, veneni sibi parati insimulaturam fuisse, quia praevidere poterat se eo crimine arma adversariis contra semet ipsam subministraturam esse. quae cum ita sint, facinori isti ab reo eiusque defensore solis Clodiae sero exprobrato fidem nullam adiungimus, miramurque eam rem a Schwabio p. 61 pro explorata haberi. contra quod Cicero in eadem pro Caelio oratione Clodiam modo aperte modo tecte ut mulierem inpudicissimam atque libidinosissimam depingit, quae meretricis ritu cum lautorum adulescentium multitudine et Romae et in Baiarum celebritate bacchari omnibusque se pervulgare consueverit (conf. in primis § 32. 38. 47. 49. 57. 67. 69), etsi dubitari non potest quin in hac quoque morum illius descriptione odio mulieris et defendendi rei studio abreptus singula verbis exasperaverit, tamen universe haud ita multum a veritate eum deflexisse cum ipsa causae Caelianae natura tum infame quadrantariae cognomen probat Clodiae inditum (conf. praeter Caelium apud Quintil. l. c. Plutarchus Cic. 29), quod, nisi apud aequales notissimum atque pervulgatum fuisset, ne Cicero quidem ita ut fecit (p. Cael. § 62, ubi quid sibi velint verba 'quadrantaria illa permutatione' facile intellectu est, et § 69) significare potuit. 'quadrantaria' autem cum mulierem designet quae minimo pretio uniuscuiusque libidini satisfaciat, Clodiam turpi eo nomine non adpellatam esse adparet nisi ad notandam perditissimam inpudicitiam, neque enim mercede corpus prostituere, immo teste Cicerone p. Cael. § 36 et 38 ipsa amatores sibi gratiosos, a patribus autem parce habitos muneribus adficere solebat. conf. de isto cognomento Drumannus hist. Rom. II, p. 381. forma vero aeque atque ingenio valuisse eam iam e tanto numero iuvenum lenociniis mulieris captorum colligas. constat autem Clodiam oculos magnos atque ardentes habuisse, nam Cicero in epistulis a. 695/59 ad Atticum datis eam saepius nomine βοώπιδος adpellat (II 9 1. 12 2. 14 1. 22 5. 23 3), quod reconditiorem aliquem aculeum habere non est probabile (nec enim ad id probandum orationes de domo § 92 et pro Cael. § 78 adferri debent), flagrantesque illius oculos in orat. de harusp. resp. § 38 et in Caeliana § 49 tangit; quod quanto opere congruat cum venustate Lesbiae, quam nigris oculis conspicuam fuisse supra ostendimus, in propatulo est. porro ingenii facultas Clodiae inde quoque perspicitur quod ne a publicis quidem rebus sese abstinebat, noruntque horum temporum periti quantum Cicero Pomponii Attici cum ea colloquiis tribuerit (conf. loci epistularum ad Att. supra laudati). quodsi talem mulieris indolem reputamus, facile ad eam sententiam deducimur ut Clodiae cum

Metello matrimonium a primo non mutua voluntate, utpote inter nimis dispares, iunctum fuisse existimemus. etenim cum illam omnia clament abundasse ingenio, hic non potest non homo ieiunus, tardus, hebes fuisse. qua de natura eius locuples Cicero testis est, qui epist. ad Att. I 18 1, dum sibi maxime deesse queritur hominem eum quocum omnia quae se cura aliqua adficiant communicet, qui se amet, qui sapiat, quicum ipse ex animo loquatur, 'Metellus,' inquit, 'non homo, sed 'litus atque aër et solitudo mera,'' quae verba nostro saeculo ineptissime a quibusdam temptata (quamquam viam ad intellegenda ea iam Paullus Manutius, Aus. Popma, alii monstraverant) rectissime nuper vindicavit Vahlenus in prooemio ind. lect. Berol. hib. a. 1879—1880, p. 11 s. neque hoc Ciceronis iudicium non quodam modo confirmant ipsae Metelli litterae illae arrogantissimae et partim ridiculae quae extant libri V epistul. ad famil. initio.

Conposuimus adhuc quae demonstrent imaginem universam Clodiae quadrantariae et Lesbiae Catullianae eandem esse. quid, si etiam singulae res ad utriusque vitam pertinentes conveniunt? M. Caelium Rufum oratorem, hominem candore corporis insignem (conf. Cic. p. Cael. § 6 et 36) et, ut etiam nunc servatae nobis epistulae eius testantur, ingeniosum aliquamdiu cum ista Clodia moechatum esse Ciceronis oratio pro eo habita ostendit. qui quo solutius cum hac muliere congredi posset, domum conduxerat in insula P. Clodii in Palatio (p. Cael. § 17 s. conf. Drumannus II, p. 377), in qua post mortem certe mariti Clodia quoque habitabat (conf. p. Cael. § 18. 36 s. 47. 75), nisi forte Metelli aedes et ipsae in Palatio sitae et P. Clodii possessioni vicinae erant (conf. ibid. § 59 s.). iam inter aemulos quos Catullus in amore Lesbiae habuit etiam Rufum quendam fuisse vidimus, quem omnia sua sibi amico bona eripuisse c. LXXVII acerbe poeta queritur. quo in aemulo quin M. Caelium Rufum adgnoscamus nihil omnino inpedit. nam quod illum Catullus c. LXIX propter alarum hircum a pulchris puellis fugi dicit, id nemo sano iudicio praeditus quicquam in contrariam partem valere sibi persuadebit. quodsi c. LXXIII, in quo poeta de ingrato ac perfido animo hominis queritur qui se modo 'unum atque unicum amicum' habuerit, h. e. magnum aliquod in angustiis beneficium aliis denegantibus a semet acceperit — nam ita versum 6 intellegendum esse dubitare non potest qui ad ea quae antecedunt cogitationem intendit — si, inquam, hoc quoque carmen supra recte ad Rufum, quem M. Caelium Rufum esse arbitramur, rettulimus, eum haud inepte suspicere brevi ante quam cum Clodia rem habere inciperet prompta Catulli opera

difficultate rei nummariae liberatum esse. quippe quem propter nimios, praesertim pro patris parsimonia, sumptus ex aere alieno laborasse sciamus (conf. Cic. p. Cael. § 17. 36. 38 cum Drumanno II, p. 411 ss.). contra nugas agunt — ut strictim attingam quod refutatione dignum non est — qui etiam Caelium Veronensem (vid. c. LVIII et C) eundem cum Caelio Rufo oratore esse probare student. alium Catulli in amore Lesbiae rivalem Lesbium cognovimus. quo quidem nomine, cum Lesbia fictum nomen sit pro Clodia, Clodius quidam significetur necesse est. Lesbius autem iste c. LXXIX ut Lesbiae cunnilingus carpitur. idem ad libidinis genus Sextum Clodium, P. Clodii adsectatorem, Clodiae quadrantariae operam suam commodasse Cicero saepius significat, in primis in oratione de domo § 25. conf. etiam § 47 et 83, et or. p. Cael. § 78. itaque hunc esse eum quem poeta Lesbii nomine irrideat quam maxime probabile, ne dicam certum est, perspexitque primus Iustus Lipsius variarum lectionum l. I, c. 5. cui sententiae Schwabius p. 90 ss. iniuria adversatus est. qui Muretum secutus Publium potius Clodium significari vult, ad cuius cognomen Pulchri poetam verbis 'Lesbius est pulcer' respexisse putat. verum talem vocis quae est *pulcer* ambiguitatem a primo hic statuere non est necessarium, statui autem posse, etiam si Sex. Clodium intellegamus, mox videbimus. deinde P. Clodium notum est quidem suspicionem incestus cum sorore facti habuisse (conf. loci a Drumanno II, p. 381 sive a Schwabio p. 62 congesti), sed id flagitium quod epigrammate Catulliano indicatur nemo veterum ei exprobravit, neque Schwabius talibus locis qualis est Ciceronis Sestianae § 16, ubi orator inimicum suum hominem 'omni inaudita libidine' insanum sive, ut cum veteribus editoribus malo, infamem dicit, ad stabiliendam suam sententiam abuti debuit. quod vero idem de Sex. Clodio cogitari posse negat propterea quia hunc non pulchrum, sed deformem potius fuisse Ciceronis in Pisonem oratio § 8 doceat, non intellexit acumen primi versus, quod quale sit Vorlaenderus l. c. p. 5 recte explicavit. nimirum sic verba intellegenda: 'Lesbium cum antea semper deformem habuerim, errasse me eo adparet quod Lesbia illum mihi anteponit.' ceterum cum poeta Lesbiam dicat Lesbium malle quam se 'cum tota gente' sua, quod sane mirum est, gentisque iterum v. 3 mentionem faciat, ne id quidem non potest certum aliquod acumen habere. videor autem mihi quid subsit enucleare posse. scilicet Sex. Clodius non erat gentis Claudiae, sed homo obscuro loco natus egensque, quem a liberto Claudii cuiusdam oriundum fuisse Drumannus II, p. 386 probabiliter suspicatus est. itaque poetam primo epigrammatis disticho non solum deformitatem

aemuli, verum etiam humilitatem inrisurum in ambiguo sensu verborum 'Lesbius est pulcer' lusisse censeo. quae una cum insequentibus etiam hoc modo intellegi possunt: 'Sex. Clodius non est quem adhuc putavi homo sordidus, sed gentis Claudiae nobilissima familia Pulchrorum natus, nam Clodia eum utpote gentilem suum mihi cum tota gente mea anteponit.' ita gentis Catulli commemorationem et ipsam ad cavillandum hominem qui gentem non habet conferre videmus. atque huic explicationi haud leve praesidium ab oratione de domo § 25 paratur, ubi Cicero Sex. Clodium inpudicissimum eius cum Clodia quadrantaria commercium significaturus per ludibrium 'socium' P. Clodii 'sanguinis' dicit. conf. Drumannus l. l. not. 95. praeterea idem Cicero in Sestiana § 81 et in epist. ad Q. fratrem II 11 (13) 2 P. Clodii satellites, quorum dux erat Sex. Clodius, 'gentem Clodiam' vocat.

Addi his possunt alia non nulla quae, etsi per se infirmiora esse concedimus, tamen coniuncta cum ceteris omnibus et ipsa aliquid ponderis nanciscantur. veluti quod maritum Lesbiae Catullus c. LXXXIII fatuum dicit, convicium id quidem est hominis Lesbiae amore depereuntis, cui non multum tribuas, sed convenit, ut vidimus, Metelli indoles. deinde salacem tabernam, in qua c. XXXVII rivales suos cum puella sibi infideli sedentes inducit, propter causas ex ipso poemate petitas ostendimus non posse proprie dictam esse, sed domum aliquam ampliorem, in qua crebro convivia agitarentur quibus Lesbia quoque interesset, significari videri. eam esse domum P. Clodii Palatinam tanto est credibilius quanto facilius fieri potest ut situs eius a Catullo verbis 'a pilleatis nona fratribus pila' caute indicatus sit. neque enim haec domus longe a templo Castorum in meridiana regione fori sito abfuisse potest. nam proxima erat Ciceronis in Palatio aedibus (v. or. de domo § 115 s. de harusp. resp. § 33. Drumannus II, p. 270). hunc autem ex epist. ad Att. II 24 3 intellegitur vicinum fuisse Caesaris consulis, qui ut pontifex maximus in sacra via domo publica habitabat (v. Sueton. Iul. 46), propinquitatemque fori Cicero Caelianae § 18 causam adfert cur reus a patre in insulam P. Clodii semigraverit. quod si recte se habet, etiam ipsa templi Castorum per poetam commemoratio potest quoddam acumen habere, quoniam hoc templum anno 696/58, quo, ut infra adparebit, c. XXXVII Catulli scriptum est, Clodio pro armorum receptaculo fuisse scimus (v. Cic. in Pis. § 11). 'contubernales' autem a poeta carpti tum intellegendi sunt Publii amici, 'barbatuli iuvenes' illi quorum Cicero paucis annis ante epist. ad Atticum I 14 5 et 16 11 mentionem facit. nec alienum a re erit meminisse 'convivii istius ἀσελγοῦς' quod

idem Cicero in binis litteris a. 695/59 ad eundem datis, II 12 2 et 14 1, dum de P. Clodio eiusque sorore loquitur, tangit, ut ab his adparatum fuisse veri sit simile, id quod pro certo habuit Drumannus V, p. 80.

Tot igitur tantasque et in personis et in rebus utriusque mulieris similitudines quis sibi persuadebit casui attribuendas esse? an tu praeter Clodiam Q. Metelli Celeris uxorem matronam eiusdem nominis et aetatis novisti, in qua Lesbiam Catullianam aliqua cum probabilitate adgnoscas? reputandum est etiam, qua de re Munro l. c. p. 196 et 198 monuit, vulgares nominis quod est Claudius formas Clodius Clodia in gente Claudia et patricia et plebeia perraras esse, ipsumque patrem Clodiae quadrantariae duosque fratres natu maiores nomen suum gentile per diphthongum scripsisse, cum frater minimus Publius et tres sorores eius aut ipsi alteram formam praeferrent aut ab aequalibus 'Clodius' et 'Clodia' dicerentur (unicus, quod sciam, locus quo Q. Metelli uxor 'Claudia' adpellatur est in litteris a Cicerone a. 692/62 ad ipsum Metellum datis, epist. ad fam. V 2 6). conf. de duplici nominis forma Drumannus II, p. 200. e reliquis autem praeter quadrantariam sororibus Publii, quas et ipsas mala fama laborasse verum est, ne alteram utram pro Lesbia Catulli habeamus causa gravissima prohibemur. quarum una, omnium sororum natu maxima, Q. Marcio Regi, consuli a. 686/68, nupserat, quem ante annum 693/61 mortem obisse scimus (conf. Drumannus II, p. 376). eo autem anno Lesbiam maritam etiam fuisse adparebit, ubi de temporis quo Catullus eam amabat rationibus exponemus. idemque argumentum vetat de Clodiarum natu minima cogitari, quam L. Licinius Lucullus in matrimonium duxerat. qui ex bello Mithridatico Romam reversus cum uxore divortium fecit eamque a. 693/61 publice stupri cum fratre germano facti insimulavit (conf. Drumannus II, p. 212 et 382).

Restat ut unum scrupulum removeamus qui non nullis ab aetate Clodiae quadrantariae iniectus est. quae cum teste Cicerone in Caeliana § 36 maior fuerit fratre Publio, is autem, quoad ex magistratibus ab eo petitis gestisque concludi licet, a. 661/93 vel 662/92 in lucem editus videatur, Schwabius p. 59 praeeunte Iungclausseno p. 8 illam a. 659/95 vel 660/94 natam esse probabiliter statuit. itaque Catullus, si Hieronymi de natalibus eius testimonio confidimus, septem octove annis ea Clodia minor erat, sin autem poetam anno demum 672/82 natum esse sumimus, quod infra probare conabor, minimum duodecim. qua tamen in re cur offendamus nihil est. istam enim mulierem nonne tanta fuisse venustate scimus ut anno etiam 698/56, cum duodequadraginta minimum annorum esset, tot iuvenes lenociniis suis

captos tenuerit (conf. Cic. p. Cael. § 67)? nec multo ante amaverat eam M. Caelius, homo pulchritudine, ut vidimus, ipse insignis atque conpluribus annis iunior. etsi enim Plinius, qui nat. hist. VII 49 165 Caelium C. Mario Cn. Carbone tertium consulibus, h. e. a. 672/82, genitum esse tradit, erroris convictus est a Nipperdeio opusc. p. 299, tamen eum ante annum 666/88 natum non esse pro certo habendum est. v. Guil. Wegehauptius in programm. gymn. ad St. Mariam-Magdal. Vratislav. a. 1878, p. 6. quod cum ita sit, quid mirum, si Catullus, adulescens animi ardore plenus et poeta, mulierem semet aliquanto maiorem, sed et forma et ingenio excellentem deperiit? etiam Propertium Cynthia sua annis inferiorem fuisse scimus, neque difficile esset, si opus foret, ex recentioribus temporibus similia exempla congerere. quodsi quis talem aetatis inter Lesbiam et Catullum differentiam per se quidem haud incredibilem iudicat, sed ad c. LXXII provocat negatque fieri potuisse ut poeta de muliere ipso annis superiore diceret se eam, dum sibi uni dedita fuisset, dilexisse 'non tantum ut vulgus amicam, Sed pater ut gnatos diligit et generos', ne id quidem universam huius epigrammatis sententiam consideranti iure opponi videbitur. in quo cum Catullus benevolentiam olim fideli Lesbiae praestitam ab eo amore qui ad solum corpus pertinet ideoque ne perfidia quidem amatae mulieris perit accurate distinguat, quidni illam benevolentiam cum patris in filios generosque caritate conparet? qua quidem conparatione optime ut homo Romanus priorem suum sensum diligendi inlustravit. conf. Westphalius libri sui de Catullo p. 115 s., quem ea de re rectissime iudicasse censeo.

Itaque pro explorato potest haberi Lesbiam Catulli et Clodiam Q. Metelli Celeris uxorem unam eandemque feminam fuisse. iam ad tempus amoris erga eam poetae paullo accuratius definiendum progressuri primum quid ipsa carmina Catulliana de ea re doceant videamus. tempore eo quo poeta c. XI conscripsit, h. e. a. 699/55, amorem eius plane extinctum fuisse iam supra diximus. a vere anni 697/57 usque ad ver anni 698/56 Catullum in Bithynia provincia commoratum esse infra demonstrabitur. quo eum non fuisse profecturum, nisi antea omnem spem recuperandae Lesbiae abiecisset, liquido confirmare possumus. neque ullum est carminum aut in ipso itinere aut statim ex reditu poetae conpositorum in quo illius mulieris mentio fiat. ergo non tardius quam anno 696/58 extremo Catullum Lesbiae amorem renuntiasse probabili coniectura efficitur. vix autem prius etiam ab ea sese avertisse potest. nam si varios huius amoris casus reputabimus, omnino eum circiter quadriennium viguisse concedemus, idque etiam inde colligendum videtur quod

poeta in elegia Allio dicata, quam concordia inter amantes nondum gravius concussa factam scimus (conf. v. 135 ss. et 159 s.), tamen de initiis foederis tamquam de tempore paullo remotiore loquitur (conf. in primis v. 131 et 158, si quidem recte ego hic quoque *tum* voculam inserui). ut autem adulescentem fuisse Catullum, cum Lesbiam diligere inciperet, iam vehementia ardoris eius probat (conf. eiusdem elegiae v. 53—56), ita carmina ad illam spectantia, excepto fortasse omnium primo e Sappho expresso, tantam produnt maturitatem ut non possint nisi ab homine vicesimum annum egresso condita esse. neque profecto adulescentulus nondum vicenarius ver aetatis suae iam peractum esse significare potuisset c. LXVIII 16. quae cum ita sint, Lesbiam a. 693/61 a Catullo amari coeptam esse probabiliter statuere videmur. cum hac temporis definitione ab ipsis carminibus petita optime congruunt quae de vita Clodiae quadrantariae eiusque mariti tradita accepimus, ut hinc quoque universam quam defendimus sententiam non mediocriter conprobari adpareat. Lesbiam nuptam fuisse, cum Catullus amore eius incenderetur, supra ostendimus. Clodia quo tempore Q. Metello nupserit nescimus, sed eam a. 692/62 huius uxorem fuisse ex Ciceronis epist. ad fam. V 2 6 intellegitur. eo autem anno Metellus Galliae cisalpinae provinciae praeerat. unde simul efficitur non posse in hunc annum initia amoris Catulliani cadere, quia, quo tempore inconsiderata ardentis poetae audacia Clodiae bilem movebat, maritum eius Romae adfuisse ex c. LXXXIII perspicuum est, ut etiam hoc argumento ad insequentem potius annum deducamur. quod autem poetam per P. Alfenum Varum Cremonensem ad Clodiam eiusque virum introductum esse supra suspicati sumus, eius coniecturae nunc augetur probabilitas. consentaneum est enim homines Transpadanos haud difficilem habuisse aditum in domum eius qui modo Galliae cisalpinae proconsul fuisset, potestque fieri ut Metellus Veronae, ut postea C. Iulius Caesar, patris Catulli hospitio usus sit. sunt alia quae non minus quadrent. c. LXVIII, quod cum in urbe patria scriberet poeta, Lesbiam non se uno contentam esse iam noverat, secundum ea quae paullo ante diximus dubitari non potest quin anno 694/60 extremo aut insequentis dimidio priori adsignandum sit. iam hoc tempore uxorem Metelli satis male audivisse, etiam si nondum talis esset qualis in oratione Caeliana describitur, 'non consulare' Ciceronis de ea dictum ab ipso in epistul. ad Atticum II 1 5 narratum ostendit. primis post poetae Romam reditum temporibus, h. e., ut nunc confidenter pronuntiare licet, anno 695/59, c. LXX supra attribuimus. in quo quod Lesbia adseverare dicitur nulli se nubere malle quam Catullo, etsi id

fortasse vivo etiam illius coniuge adfirmari potuit, tamen totius ratio poematii (conf. v. 3) multo est apertior, si mulierem poetae tum verba dedisse sumimus, cum libera esset eique, modo vellet, nubere posset. qua cum explicatione egregie concinit quod Metellus eodem anno 695/59, et quidem fere medio, ut videtur, certe non ante mensem Maium extremum (vid. Eduardus Brunerus l. c. p. 619 s.), e vita egressus est. itaque haud multum post eius mortem, cum se falsa spe produci intellegeret, poetam illud carmen scripsisse censemus. iam ex eis quae adhuc exposuimus consequitur ut omnia omnino carmina in quibus Catullus aut de violata ab Lesbia fide queritur aut rivales suos insectatur aut denique se ipse contra istas miserias animo obfirmare studet, excepto carmine XI et fortasse etiam LVIII, quae ambo ad id genus proprie non pertinent, annis 695/59 et 696/58 attribuenda sint. in idem autem tempus M. Caelii Rufi cum Clodia quadrantaria amorem incidere supra commemoravimus. ita quaecumque de Clodiae et Metelli vita ac fortuna comperta habemus sententiae nostrae suffragari vides. pervenimus autem in hac quam de tempore amoris Catulliani instituimus quaestione ad eandem iudicii summam atque Schwabius qu. Cat. p. 133 s., quamquam aliis magna ex parte argumentis aliaque disputandi via usi sumus. quodsi quis opponat multo plura esse carmina quae infelicem quam quae felicem amorem Catulli ostendant, ideoque illa per maius temporis spatium distribuenda fuisse censeat, idonea defensio ab ipsa natura hominum petita offertur: consentaneum est enim poetae lyrici ingenium multo uberiores in rebus adversis quam in secundis fetus edere.

Non multum post dissolutum cum Clodia foedus, vere anni 697/57, Catullus cum C. Memmio propraetore in Bithyniam provinciam profectus est. neque enim ullo modo potest dubitari quin 'Memmius praetor', cuius in istam provinciam abeuntis comitem fuisse poetam carmina XXVIII et X inter se conparata docent, idem sit atque Gaius ille Memmius L. f. olim falso cognomine 'Gemellus' adpellatus (conf. Borghesius op. I, p. 152 cum adnot. Th. Mommseni et hic ipse in libro 'Geschichte des röm. Münzwesens', p. 597, not. 389), quem a. 696/58 praetorem fuisse scimus (conf. Schwabius qu. Cat. p. 159 s. P. Wehrmannus fast. praetor. p. 62), etsi eum proximo anno Bithyniam administrasse aliunde non notum est. qui cum litteris eruditus esset (conf. Cic. Brut. § 247) et versibus quoque faciendis operam daret (conf. Ovid. trist. II 433. Plin. epist. V 3 5. Gell. XIX 9 7), doctos elegantesque aliquot iuvenes ut se comitarentur invitasse videtur, quo vitam in remota provincia sibi dulciorem redderet. certe praeter poetam Veronensem etiam C. Helvius Cinna in

cohorte Memmii fuit, ut ex Catulli c. X 31 merito collegit Hauptius opusc. I, p. 72, confirmaturque id, ut Brunerus p. 653 n. et Schwabius p. 267 animadverterunt, ipsius Cinnae versiculis ab Isidoro orig. VI 12 servatis (fragm. 3 L. Muell.), quibus se in Bithynia commoratum esse indeque exemplar Arati phaenomenon domum reportasse significat. Catullus autem triplici sine dubio causa ut hoc iter susciperet commotus est, primum ut vulnera ex infelici amore animo inflicta longinqua peregrinatione persanaret, deinde ut sepulcrum fratris dilectissimi inviseret, denique ut aliquid lucelli in Bithynia faceret. nam hanc eum spem habuisse duo carmina post reditum in Italiam scripta demonstrant, in quibus de provinciae paupertate et de praetoris adversus cohortem incuria acerbe queritur. vid. c. X 9 ss. 19. XXVIII 6 ss. ceterum non tam ingratam Catullo stationem Bithynicam fuisse credo quam non nullis istas iracundias considerantibus visum est, nam carminis XLVI v. 9 dulces comitum coetus commemorat. neque dubito quin recte Brunerus p. 653 suspicatus sit eum in hoc recessu provinciae aliqua de carminibus maioribus condidisse, quorum pangendorum in tumultu urbis Romae atque mediis in amoribus odiisque vix voluntas suppetebat. quae coniectura tanto plus probabilitatis habet quod inter ea carmina quorum tempus accuratius definiri licet nullum est quod a. 697/57 scriptum sit, et breviora longe plurima in Italia facta esse ipsae res quae in eis tractantur declarant. iam cum Catullus per annum integrum a studiis poeticis prorsus abstinuisse nullo modo putari possit, eum, quemadmodum antea in recessu Veronensi comam Berenices ex Callimacho verterat et elegiam ad Allium conposuerat, sic in Bithynia epyllion de Pelei et Thetidis nuptiis, omnium carminum suorum maximum, pepigisse veri est simile; cui Attin haud inprobabiliter adicias, praesertim cum huius poematis argumentum ad regiones Bithyniae vicinas pertineat fierique facile potuerit ut Catullus circumiacentium locorum natura atque sacris ad eam materiam tractandam inpelleretur. neque huic coniecturae obstat quod poeta, ut infra videbimus, in Attine, aeque atque in epyllio suo, Graeca exempla imitatus est. ne autem duo ista carmina eis temporibus attribuamus quae Catulli cum Clodia foederi antecedunt perfectio eorum inpedit.

Vere anni insequentis Catullum Bithyniam reliquisse c. XLVI docet. e cuius versiculis extremis eum non prius quam reliquam cohortem et ipsum propraetorem inde decessisse intellegitur. Memmium autem non anno longius Bithyniam rexisse certum est, quippe cui a. 698/56 C. Caecilius Cornutus in administranda ea provincia successerit, ut Borghesius ex nummo quodam Amisi

euso huiusque nomine inscripto demonstravit (op. I, p. 463 ss. II, p. 354. conf. Wehrmannus fast. praet. p. 64). iam Catullus in Italiam rediturus primum fratris sepulcrum in ora Troadis conditi adiit inferiisque rite institutis mortuo in perpetuum vale dixit, ut c. CI ei dicatum atque haud dubie in ipso tumuli adspectu factum ostendit. cuius quidem exordium etsi ita conceptum est ut poeta in Bithyniam proficiscens hos versus conposuisse videri possit, tamen eum in reditu potius fratris manes salutasse plerique non sine causa statuunt. etenim cum comites Memmii una cum hoc omnes domo profectos esse ex c. XLVI 10 perspiciatur, non ita veri simile est Catullo ab Italia venienti occasionem ad litus Troianum adpellendi fratrisque tumulum visendi datam esse. contra in reditu, ut idem poematium docet, diversi discesserunt, et Catullus quidem non recta via revertit, sed antea claras Asiae urbes petiit. itaque tum demum fratris sepulcrum ab eo aditum esse perprobabile est. quo autem modo iter suum instituerit quemque cursum tenuerit c. IV ostendit haud multum post reditum in Sirmione paeninsula scriptum. etenim hoc quoque poema ad ipsius res Catulli pertinere universum eius argumentum conparatum cum rebus in carminibus XXXI et XLVI commemoratis demonstrat, neque potest dubitari quin 'limpidus lacus', usque ad quem v. 24 phaselus venisse dicitur, Benacus intellegendus sit (conf. c. XXXI 13). igitur Catullus navigio Amastride mercede conducto — nam 'erum' quem se vocat poeta v. 19 praestat Sirmionis quam phaseli dominum accipere (conf. c. XXXI 12), neque huic sententiae, ut post videbimus, finis carminis obstat — per Ponticum sinum et Thraciam Propontida profectus oram Asiae minoris legens Rhodum pervenit, deinde cursum ad Cycladas direxit, unde phaselo Isthmum traducto — Maleam enim promunturium flexisse eum parum credibile — per sinum Corinthiacum in mare Ionium et Adriaticum navigavit indeque in lacum Benacum invectus est. haec simplex eius poematis interpretatio subgerit. quacum cavendum est ne carminis XLVI v. 8 pugnare arbitremur. ex eo enim Catullum Nicaea profectum Troadem maritimasque regiones Asiae pedibus peragrasse, ut Westphalius putat (p. 166. 172. 267), nullo modo colligi potest. immo refellitur ista opinio cum exordio carminis CI, si quidem poeta, ut perprobabile esse diximus, in Italiam rediens fratris sepulcrum adiit, tum carminis XXXI v. 5 s., unde eum iter suum ex Bithynia in Galliam cisalpinam admodum celeriter confecisse nec usquam diutius moratum esse intellegitur. at enim illam cui patrocinati sumus carminis IV interpretationem in difficultates quasdam incurrere non negamus. quae tamen non tantae sunt aestimandae ut sententiam nostram

corruere faciant. nam Catullum Amastride, h. e. in remotissima provinciae parte, navem quae ipsum in patriam reportatura esset conscendisse nobis quidem potest mirum videri, sed varias eius rei causas cogitari licet. deinde, etsi hodie inter mare Adriaticum et Benacum lacum nulla est navigatio, Catulli aetate aut per Padum et Mincium aut per Athesim et Mincium fossa inter se coniunctos vel maritimis navibus modicae magnitudinis veniri potuisse haud est incredibile. conf. philologi t. XII, p. 754. Schwabius qu. Cat. p. 173 s. neque id incredibile visum est Munroni l. c. p. 11 ss., qui tamen, ut offensiones quas tetigi elevaret, perquam artificiosa in explicando carmine IV ratione usus Catullum in Propontide demum, sive Cii sive Myrleae, urbibus non longe a Nicaea remotis, phaselum suum Amastride missum conscendisse ex eoque, priusquam ostium Padi fluminis intraret, probabiliter autem iam Brundisii, egressum esse statuit. ceterum quod vulgo putant poetam in fine carminis ipsum phaselum emeritum Dioscuris consecravisse, id neque praedicatae modo virtuti eius convenit et aliunde quoque prorsus inprobabile est. itaque non dubito equidem Bruneri p. 635 sententiae accedere, qui c. IV inscriptum fuisse censet in tabula votiva Dioscuris in sacello ad lacum Benacum posita cum depicta imagine navigii, et ad hanc picturam spectare prima verba 'phaselus ille, quem videtis, hospites'.

In patriam reversus primum c. XXXI conposuit, quo Sirmionem suam suavissimis versibus salvere iubet. neque vero tum diu mansit in provincia Transpadana, sed mox Romam profectus est, ut ex c. X concludere licet. atque ibi novus eum erga pulchrum puerum amor exercuit. nam quattuor ista ad Iuventium carmina XXIV XLVIII LXXXI XCIX vix dubium esse potest quin recte anno 698/56 vel sequenti attribuantur. quae quamquam nihil ipsa continent quo id demonstretur, at cum carminibus in Furium et Aurelium scriptis (XV XXI XVI XXIII XXVI XI) ita cohaerent ut in idem fere tempus omnia incidere putandum sit. c. XI autem a. 699/55 conpositum esse supra memoravimus. cumque ex eo Furium et Aurelium Romae habitasse colligi possit, quippe qui Lesbiae quoddam poetae mandatum perferre iubeantur, ista quoque ad Iuventium carmina ibidem scripta esse iudicabimus, id quod etiam c. LXXXI 1 verba 'in tanto populo' indicant. Iuventium vero ipsum non Romae natum fuisse, sed hospitio ibi hominis cuiusdam Pisauro oriundi usum esse ex c. LXXXI 3 s. intellegitur. quocum si c. XV conparamus, hospitem illum Iuventii adparet non alium fuisse quam Aurelium (animum attendas in primis ad illud *foris* c. XV 12), perspexitque id iam Brunerus p. 638, quamquam parum pro-

babiliter poetam, cum istum Pisaurensem 'inaurata' statua pallidiorem diceret, in nomine Aurelii lusisse putavit. neque illi sententiae repugnat c. XXI, ubi nimirum Catullus v. 5 s. quo modo Aurelium in publico adversus puerum se gerere observarit memorat. iam cum carminis XV rationem accurate considero, in quo et se suosque amores Aurelio commendat poeta et ut puerum pudice sibi conservet minis adiectis flagitat, cumque carminis LXXXI distichon extremum reputo, ubi illud 'nunc' priori tempori opponi videtur neque vero verba 'audes' et 'nescis quod facinus facias' sine vi et pondere dicta sunt, non possum quin Catullum suspicer aliquid iuris adversus Iuventium habere sibi visum esse. itaque hunc popularem poetae fuisse — quod etiam Brunerus l. c., etsi dubitanter, coniecit — ab eoque, priusquam Romam veniret, amari coeptum esse veri simillimum duco. cui coniecturae inde quoque non nihil commendationis accedit quod in regione Veronensi Iuventios consedisse multae inscriptiones docent (v. ex. gr. C. I. L. V, 1, nr. 3316. 3480. 4349. 4438. 4626). fuisse autem puerum a Catullo amatum ingenuum de gente Iuventiorum carminis XXIV initium ostendit, videturque a parentibus, ut altioris educationis particeps fieret, Romam missus esse. ibi vero ille primum Aurelium, deinde etiam huius amicum Furium Catullo praeposuit — nam istum 'quoi neque servus est neque arca' (XXIV 5) Furium intellegi c. XXIII 1 demonstrat —, idque poetae satis, puto, causae fuit cur in utrumque aemulum carminum salibus inveheretur. perstringit autem eos ut famelicos, Furiumque, qui subinde pecuniam a Catullo mutuari voluisse videtur, c. XXIII acerbissima cum cavillatione repellit. ceterum ambo more parasitico operam illi suam venditasse ex c. XI perspicitur. de quo iam supra quantum necessarium videbatur disseruimus. neque nunc reliqua quae ad has inimicitias poetae eiusque erga Iuventium amorem pertinent singillatim percensere in animo est, nisi quod de c. XVI satis difficili quaedam restant dicenda. quaeritur enim utrum illa 'vos, quod milia multa basiorum Legistis, male me marem putatis?' ad c. V, id quod vulgo creditur, an ad c. XLVIII referenda sint. hoc post Brunerum (p. 639) etiam Westphalius p. 199 statuit, cum Furium et Aurelium carmen XLVIII Iuventio missum legisse eoque offensos mollitiem poetae exprobrasse arbitratur. quae sententia sane speciosa est, quia aliam rixae inter Catullum et istos homines causam praeter Iuventii amorem non novimus, isque in c. XVI 10 verbis 'non dico pueris' videri potest significatus esse. at tamen ipsum illud 'milia multa' non in c. XLVIII, sed in V (v. 10) legitur, cumque hoc poematium omnino veterum animos valde pepulisse videatur (conf. Martial.

VI 34. XI 6. XII 59), id potius Aurelio Furioque causam attulisse credo Catullum aut reprehendendi aut deridendi. quoniam autem 'molliculos' istos ad Lesbiam versiculos ab Aurelio eiusque amico maligne vellicatos in c. XLVIII ad Iuventium misso paullum variatos poeta repetit, nescio an consulto illorum hominum pungendorum causa ita fecerit.

Brevi post Catullus Caesarianos quosdam et ipsum etiam Caesarem cum Pompeio coepit lacessere. nam quae ex hoc genere sunt carmina non ita longo temporis intervallo inter se distare adparet, unum autem eorum, carmen XXIX, anno 699/55 extremo aut primis mensibus anni 700/54 scriptum esse cum supra diximus, tum infra accurate demonstrabimus. non potest autem negari ne eas quidem inimicitias non initium duxisse ex poetae amoribus. nam in carminibus XLI et XLIII, in quae iam p. XII s. disputatio incidit, Catullus puellam quandam Transpadanam, quae veneris avidum maximam pecuniae summam poposcerat, 'decoctoris' amicam 'Formiani' adpellat. quo nomine iam pridem intellectum est significari Mamurram (conf. c. LVII 4), Formiis, in urbe Latii, natum equitem Romanum, qui cum Caesaris in Gallia praefectus fabrum esset, favore eius maximis auctus divitiis (conf. Cic. ad Att. VII 7 6 et Plin. nat. hist. XXXVI 6 48) profusae luxuriae infamiam subiit. quem primum Romae parietes domus suae in Caelio monte crusta marmoris operuisse totos nec ullam ibi nisi e marmore Carystio aut Lunensi columnam habuisse Cornelius Nepos auctor est apud Plinium l. c. itaque non potest dubitari quin Mamurra, quem, dum sub Caesare proconsule militaret, per tempus hibernum saepius in Gallia citeriore versatum esse consentaneum est, Catullo Veronae moranti bilem eo moverit quod puellarum provincialium animos immodicis praemiis cum magno reliquorum damno ad superbiam extolleret. videntur autem duo illa in amicam decoctoris Formiani carmina anni 699/55 dimidio posteriori adsignanda esse. nam, uti iam supra diximus, cum c. XXIX ita cohaerent ut multo ante scripta esse vix putari possint. neque aptius omnino in vita poetae tempus cui ea tribuas inveneris. etenim anno 696/58, de quo Schwabius p. 141 cogitavit, Catullus Romae etiam infelici suo Lesbiae amore misere conflictabatur, abhorretque ab omni probabilitate eum in mediis his doloribus odiisque alias condiciones quaesivisse, neque quicquam poetam illo anno in regione Transpadana adfuisse probat. huc accedit quod dubium est num Mamurra iam tunc in Gallia stipendia fecerit: certe praefectus fabrum nondum erat, eo enim munere, ut antea in Hispania, ita initio bellorum Gallicorum L. Cornelius Balbus apud Caesarem functus est (v. Cic. pro Balbo § 63 et 64). sed

ut ad Catullum revertar, is, cum mox Verona Romam redisset, ira semel inflammatus iambos vehementissimos contra Mamurram atque eos vibravit quorum opera illum tam immodice locupletatum esse noverat, iambos dico carminis XXIX celeberrimi, in quo Caesarem et Pompeium tanti helluonis gratia exteras gentes expilavisse atque omnia perdidisse criminatur. de cuius poematis tempore accurate investigando bene meritus est Hauptius opusc. I, p. 12 ss. igitur scriptos esse hos iambos ante apertam Caesaris et Pompeii simultatem v. 21 docet, in quo ambo fovere Mamurram dicuntur. deinde quod illi in versu extremo socer generque adpellantur, ex eo colligi potest conpositum esse carmen ante mortem Iuliae, quae mense Septembri anni 700/54 obiit. nam ubi Caesar sub aequinoctium autumnale eiusdem anni ex altera expeditione Britannica in Galliam rediit, adlatus ei est nuntius egressae ex vita filiae (conf. Plutarch. Caes. 23 cum Caes. bell. Gall. V 23). unde efficitur ut v. 11 s., ubi Caesarem indignabundus poeta interrogat, ideone in ultima occidentis fuerit insula ut Mamurra tanto plus per luxum dissipare posset, prior illius in Britanniam expeditio extrema aestate anni 699/55 suscepta (conf. Caes. bell. Gall. IV 20 et 36) intellegenda sit. quae cum ita sint, pro certo potest haberi sub exitum huius anni vel proximo ineunte c. XXIX scriptum esse, perspicueque Catullus, cum v. 6 s. Mamurram immensis opibus suis ferocem iam omnium feminarum cubilia perambulaturum esse praedicit, ad ea quae ipse nuper in Gallia citeriore expertus erat respicit. neque enim is erat poeta qui iram semel conceptam facile supprimeret, spirantque hi iambi manifesto recens odium. Romae vero eos publicatos esse, non Veronae, quae est Westphalii p. 268 s. opinio, conplura sunt quae probent. primum enim vix credi potest Catullus imperatorem in ipsa eius provincia tam graviter increpare ausus esse, neque id patris, cui consuetudinem cum Caesare intercessisse scimus, pudor permisisse videtur. deinde tale carmen multo aptius profecto ad propositum erat in capite orbis terrarum quam in municipio emittere, neque dubium est quin poeta verbis 'cinaede Romule' (v. 5 et 9), id quod Otto Iahnius intellexit Hermae II, p. 240 s., a cuius reliqua quidem disputatione plane dissentio, non Caesarem, ut vulgo putant, sed populum Romanum conpellaverit. qui enim Catullus eum cuius beneficio habebat Mamurra divitias Galliae et Britanniae, num hoc visurus et laturus esset interrogare potuit? immo versu demum 11 ad Caesarem convertitur oratio, ineptissimeque imperator unicus adpellaretur (etiam si id ironice dictum esse statuas) qui modo cinaedus Romulus. neque potest hoc loco vox quae est *cinaedus* propriam suam significationem habere, quo-

niam qui muliebria patitur eum per se intellegitur inpudicum esse, sed ad effeminatissimum languorem pertinet quo poeta Romanos Mamurrae insolentiam luxuriamque spectare ac tolerare dolet. denique, cum etiam M. Furium Bibaculum — v. Tac. annal. IV 34 — et C. Licinium Calvum — v. Suet. Iul. 49 et 73. Sen. controv. VII 4 (19), p. 332 Kiessl. cum schol. Lucani Pharsal. VII 726 — eius modi carmina in Caesarem et Pompeium scripsisse traditum sit, quid probabilius quam Catullum in horum societate Romae et carmen XXIX et reliqua id genus emisisse, praesertim cum eum summa familiaritate cum Calvo coniunctum fuisse constet (conf. carmina XIV L LIII XCVI)? neque mihi dubium est quin Calvus, non solum is poeta, ut Catullus, sed etiam orator, qui cum media in vita forensi conlocatus esset, multo plus in re publica vidisse censendus est, amici animum e privato Mamurrae odio tamquam evexerit ad publicum odium eorum quos communi libertati imminere novisset, videorque mihi huius mutationis in Catulli carminibus quosdam quasi gradus deprehendere. non potest autem verum esse quod Theodorus Mommsenus hist. Rom. III, p. 334 edit. sextae suspicatus est, Mamurram, postquam aliquamdiu sub Caesare in Gallia militasset, brevi ante quam Catullus iambos suos scriberet, in urbem reversum tum temporis aedificanda in Caelio monte domo ista marmorea occupatum fuisse. nihil enim in ipso carmine inest quod ad hoc opus referri possit, neque vero poetam significationem eius omissurum fuisse putamus, versusque 20, quomodocumque eum constitueris, Mamurram sub proconsule Galliarum merere nondum desiisse docet. sumptuosam autem magnificamque eius in Caelio aedificationem in tempus multo posterius cadere inde quoque colligi potest quod Cicero epist. ad Atticum VII 7, quae a. 704/50 extremo scripta est, § 6 divitias quidem Mamurrae in universum memorat, sed de splendidissima domo ista, cuius inauditum ad id luxum Cornelius Nepos dignum habuit quem in libris exemplorum notaret, prorsus tacet, quod eum, si iam tunc extructa fuisset, vix fuisse facturum arbitramur, praesertim cum eodem loco de Balbi hortis et Tusculano mentionem iniciat. Mamurram vero iam a. 709/45 mortuum esse Nipperdeius in prolegomenis editioni Nepotis anni 1849 praemissis p. XVII ex obscuro illo neque prorsus integro loco qui est in Cic. ep. ad Att. XIII 52 1 mihi quidem citius quam verius conclusisse videtur, licet coniecturam suam sat multis et nuper rursus O. Hirschfeldio Herm. V, p. 299 probaverit. sed quamquam sententia universa Mommseni accipi nequit, nihilo tamen minus Mamurram eo tempore quo Catullus c. XXIX emitteret Romae adfuisse iam propter illa 'quis hoc potest videre' et 'cinaede Romule, hoc

videbis et feres' simillimum veri est, ut cum mandatis Caesaris in urbem missus esse ibique aliquamdiu mansisse videatur, quemadmodum etiam Balbum modo in provincia apud exercitum fuisse, modo Romae commodorum proconsulis tuendorum causa commoratum esse scimus (conf. Drumannus hist. Rom. II, p. 597 s. 601 s.). — pervenimus nunc ad c. LVII, quod post XXIX scriptum esse habeo cur iudicem. nam cum in illo, ut vidimus, poeta socerum generumque eam tantum ob causam quia inimicum suum foveant adoritur, in hoc Mamurrae et Caesari pari iam odio insultat. perstringit autem contubernii eorum in Gallia necessitudinem, de qua, cum ipse Veronae degeret, haud dubie audiverat, ut e maxima vitiorum similitudine natam eisque muliebris potissimum patientiae crimen, a quo exorsus est, iterum atque iterum exprobrat. nam quod v. 7 'uno in lecticulo erudituli' dicuntur, id, etsi ad communia litterarum studia maximeque, ut mihi quidem videtur, ad poeticos utriusque lusus pertinet — Caesarem enim carmina pepigisse Suetonius Iul. 56 et in vita Terentii p. 34 Reiff., Tacitus dial. 21, Plinius epist. V 3 5 testes sunt, Mamurram autem et ipsum versibus faciendis operam dedisse Catulli c. CV, de quo infra agemus, docet —, tamen simul ad istam turpitudinem spectare apertum est. neque dubito quin versus 9 'rivales socii puellularum' ita intellegendus sit ut Hauptius opusc. I, p. 114 praeeunte Doeringio eum interpretatus est. crebro autem deminutivorum in hoc epigrammate usu poeta manifesto id egit ut delicatam istorum vivendi rationem ipso carminis sono exprimeret. — eidem fere tempori c. LIV attribuendum est. quod et ipsum post XXIX scriptum esse extremi duo versiculi demonstrant. ubi Catullus cum Caesarem verbis 'unice imperator' adloquitur, ad v. 11 illius carminis respicit. quod autem fore praesentit ut imperator iterum suis iambis irascatur, inde poetam eius de c. XXIX indignationem compertam habuisse cognoscitur. itaque cum Caesar a Suetonio Iul. 73 non dissimulasse narretur sibi a Catullo 'versiculis de Mamurra' perpetua stigmata inposita esse, non dubitari potest quin de iambis carminis XXIX cogitaverit, quos multo latiorem omnino apud veteres famam adeptos esse quam c. LVII, ad quod Iahnius l. c. p. 241 dictum Caesaris a Suetonio traditum referre maluit, loci a Vergilio epigr. III 6, Plinio nat. hist. XXXVI 6 48, Quintiliano IX 4 141 ex eis adlati ostendunt. neque hendecasyllabi carminis LVII versiculi de Mamurra sunt, sed de Mamurra simul et Caesare. ceterum qui sint isti homines quos in c. LIV una cum Caesare Catullus carpit, quidque eum ut id faceret commoverit plane ignoratur, neque de lacero hoc poematio coniecturae periculum facere opportunum

est. — vix minus nobis quidem qui sero vivimus obscurum est c. CXIII, quod Pompeio iterum consule, h. e. a. 699/55 scriptum esse versus secundus docet. atque id quidem certum videtur primi et alterius Pompeii consulatus commemorationem non solum temporis definiendi causa fieri, sed proprium quoddam acumen habere, remque in hoc epigrammate significatam ab illo non plane alienam fuisse. sed ulterius progredi in tantis tenebris non audemus, neque Schwabii p. 213 ss. confidentiam intellegimus qua Caesarem et Mamurram ut Muciae, Pompeii olim uxoris, adulteros — nam Pleitneri coniecturam amplexus v. 2 *Mucillam* pro *Maeciliam* legit — designari contendit. cui opinioni non pauca profecto ad probabilitatem desunt. — sequitur ut de carminibus XCIV CV CXIV CXV agatur, in quibus Catullus hominem quendam sub nomine Mentulae haud dubie ludibrii causa ficto adoritur. quem non esse alium quam Mamurram iam saeculo sexto decimo conplures grammatici perspexerunt. nam quae in tribus horum epigrammatum castigantur vitia, immodica libido venerea divitiarumque ingentium profusio, ea in illum prorsus cadunt, itemque versificandi studium in c. CV derisum ei aptum est quem poeta c. LVII 7 ut eruditulum cavillatur. sed gravissimum argumentum, quo confirmatur utrumque hominem unum eundemque esse, ex c. XXIX 13 petitur, ubi Mamurra 'ista vestra (i. e. Caesaris et Pompeii) diffututa mentula' audit, quocum c. XCIV 1 et CXV 8 conferas. iam cum c. XXIX apud aequales nobilissimum esset, facile fieri potuit ut hinc Mamurra ignominiosum illud nomen acciperet, eoque semel divulgato ipse postea poeta tamquam proprio ad libidinosum hominem designandum tanto lubentius uteretur, quanto magis dactylica vocabuli mensura distichis — in his enim solis *Mentula* nomen nobis occurrit — idonea esset. ceterum Catullum ea in re celeberrimi poetae Graeci exemplum esse secutum in alia horum prolegomenon parte demonstrabimus. haec igitur simplex videtur rei esse explicatio. nam quod Iungclaussenus p. 22 suspicatus est Catullum post suam cum Caesare reconciliationem, de qua infra agetur, etsi a Mamurra lacessendo desistere nollet, tamen imperatoris causa aperte inimico suo insultare veritum ad fictum illud nomen confugisse, eam coniecturam conpluribus probatam esse miror, qui tali modo poetam vix minus apud Caesarem offensurum fuisse putem. quotus enim quisque infami Mentulae nomine non statim iamborum carminis XXIX admoneretur oportuit? iam ad tempus quattuor istorum in Mentulam epigrammatum quod attinet, satis confidenter ea anno 700/54 attribuere licet, utpote quae et post c. XXIX scripta sint neque tamen ilico id excepisse possint, quando sonum multo illo sedatiorem habeant.

quod autem supra negavimus Mamurram iam hoc tempore magnifica sua in Caelio monte domo extruenda occupatum fuisse, id carminibus CXIV et CXV denuo confirmatur, in quibus Catullus illum ob ingentem suum saltum Firmanum, cuius singulas partes enumerat, iure divitem haberi ait. etenim in tali quidem sententia aedes istas marmoreas, etiam si incohatae tantum fuissent, silentio praeterire vix et ne vix quidem potuit. — iam de carmine brevissimo XCIII in ipsum Caesarem facto disseramus, in quo poeta nimium se studere ut illi placeat negat nec scire velle ait utrum albus an ater homo sit, quae insania visa est Quintiliano XI 1 38. quod epigramma fortasse sub idem tempus est scriptum atque c. LIV, h. e. postquam Catullus quam aegre Caesar iambos suos tulisset compererat. sed potest etiam post poetae cum illo reconciliationem scriptum esse, ut Brunerus p. 642 censet, si quidem hoc distichon non ab ipso Catullo in vulgus datum, sed mortuo poeta ab amicis in codicillis eius inventum reliquis epigrammatis adiectum esse sumimus. — restat ut de c. LII dicamus, in quo poeta Nonium in sella curuli sedere, Vatinium per consulatum perierare indigne fert. quod carmen cum antea plerique sub exitu anni 707/47 scriptum esse iudicassent, quippe quo tempore P. Vatinius una cum Q. Fufio Caleno per Caesarem consul factus esset, Th. Mommsenus hist. Rom. III, p. 332 ed. sext. id ex verbis Catulli recte confici negavit, eiusque sententiam postea Schwabius qu. Cat. p. 39 ss. accuratius explicavit novisque argumentis confirmavit. qui tamen unum neglexit gravissimum, de quo Ellisius demum commentarii p. 142 monuit. scilicet a. 707/47 cum magistratus curules praeter consules sero creatos omnino nulli essent (v. Dio XLII 20 4. 27 2. 55 4), Nonius, quisquis erat, in sella curuli sedere non potuit. sed ut ad Vatinium revertamur, quem poeta per consulatum perierare ait, ea verba etiam de confidentia Vatinii qua fore sperabat ut consul fieret intellegere licet, hancque interpretationem solam hic admitti sententiarum ratio docet, quas nisi sic sibi opponi statuamus ut alter magistratum aliquem curulem tenere, alter consulatum summa fiducia expectare dicatur, omni orationem concinnitate carere adparet. atque re vera Vatinium multis annis ante quam voti sui compos fieret 'inpudenter vaticinando' consulatum se sperare saepe dixisse Ciceronis in eum interrogatio a. 698/56 habita § 6 et 11 ostendit. consentaneum est autem istam spem Vatinii etiam vehementer auctam esse, postquam a. 699/55 ope triumvirum M. Catone conpetitore repulso praetor creatus esset. cumque reliqua Catulli in Caesarem et Caesarianos carmina omnia, ut vidimus, aut in annum 699/55 aut in proxime insequentem cadant, non potest dubium esse quin

c. LII quoque altero utro horum annorum scriptum sit. priori autem ne cum Schwabio p. 43 attribuamus ipsa Vatinii praetura impedit. nimirum tum etiam Vatinius sedebat in sella curuli, neque id poeta de solo Nonio dicere ita poterat ut magistratui ab hoc gesto futurum alterius consulatum opponeret. itaque ad annum potius 700/54 deducimur, cui c. LII iam a Mommseno l. c. adsignatum est. hoc igitur anno Nonium statuendum est curuli magistratu functum esse, nec inprobabiliter Schwabius l. c. eum tum cum Vatinius per consulatum perieraret aedilem curulem fuisse coniecit, si quidem homo a Catullo commemoratus Nonius ille Asprenas est qui a. 708/46 proconsul sive potius propraetor ante pugnam ad Thapsum commissam a Caesare cum legionibus duabus castris praesidio relictus est (v. bell. Afric. 80. conf. Schwabius p. 36 s. Wehrmannus fast. praet. p. 79 s.). ceterum nomen quod est *struma* veri simile est non solum ad Nonium, verum etiam ad Vatinium pertinere, quem eodem malo laborasse aliunde constat (v. loci a Drumanno V, p. 683, n. 23 sive a Schwabio p. 35 collecti), videturque acerbitas epigrammatis etiam in conponendo isto pari hominum strumosorum posita esse.

Iurgiis Catulli cum Caesare eiusque adsectatoribus enarratis statim subicere placet quae de rixis inimicitiisque poetae dicenda restant. ordiemur autem a. c. XCVIII, quod et ipsum ad res publicas referri probabile est. vix enim dubitamus priorum saeculorum viris non nullis primariis adsentiri qui L. Vettii equitis cognomine 'indicis' famosi, de quo conf. Haakhius in Paulyi encyclop. VI, 2, p. 2530 s. et Drumannus hist. Rom. II, p. 234 ss., linguam mendacem ac venalem hic castigari censuerunt. nam pro depravato illo *Victi*, quod codices nostri exhibent, facili negotio *Vetti* restituitur (conf. adnot. crit.). argumentum vero epigrammatis in indicem istum optime quadrat. conf. in primis Cic. or. in Vatin. § 24: 'ibi tu indicem Vettium l i n g u a m et vocem suam sceleri et menti tuae praebere voluisti.' perperam enim iudicant qui loquacem hominem in nostro carmine notari putant. immo v. 2 demonstrat eum qui a Catullo compellatur in 'verbosis' et 'fatuis' non fuisse. quod cum ita sit, in v. 5 verbum quod est *perdere* non potest nisi proprie dictum esse. iam si recte hoc epigramma ad Vettium indicem pertinere existimatur, haud dubie a. 695/59 scriptum est, quo ille inpellente, ut rumor erat, Caesare consule multos ex optimatibus in suspicionem insidiarum Pompeio paratarum adducere temptavit. nec diutius vixit Vettius, sed eodem etiam anno clam in carcere interemptus est. facile est autem ad credendum Catullum uno ex eis quos tum Vettius ut fictae coniurationis participes nominavit familiariter

usum esse. verum futtilia sunt prorsus quibus adducti Westphalius p. 157 s. de C. Septimio, scriba Bibuli consulis, Ellisius comment. p. 378 de M. Iuventio Laterensi cogitaverunt. — argumento simile est c. CVIII, in quo poeta in Cominium quendam ob inimicam bonorum linguam vehementer invehitur, neque potest dubitari quin hoc quoque epigramma ad publicas res pertineat (conf. v. 1 et 3), probabiliterque iam I. Lipsius var. lect. IV 5 notari suspicatus est P. Cominium equitem, odiosum apud populum accusatorem, contra quem Cicero a. 689/65 defendit C. Cornelium. conf. Cic. Brut. § 271. Asconius p. 52 ss. ed. Berol. verum coniectura Schwabii, qui p. 319 ss. epigramma Catullianum ad ipsam hanc actionem referri arbitratur, iam a temporis rationibus parum commendationis habet. — paullo confidentius de c. LXXXIV dicere licet, epigrammate apud veteres nobili (conf. Quintil. I 5 20), in quo poeta Arrium quendam litteris vitiose adspirare solitum admodum lepide et iocose perstringit. hunc esse Q. Arrium cum quem Cicero in Bruto § 242 dicit M. Crassi quasi secundarum fuisse, h. e. saepe una cum illo in eisdem causis perorasse, sed ita semper ut primas partes Crasso permitteret, haud inprobabilis est coniectura et Bruneri p. 647 et Schwabii p. 325. qui ambo Q. Arrium oratorem et cognominem praetorem anni 681/73 unum eundemque hominem fuisse sumunt praeeuntibus cum aliis tum Borghesio in dissertatione de gente Arria, op. I, p. 68 ss. quae sententia sane corrueret, si fides habenda esset scholiastae Gronoviano ad Cic. divinat. p. 382 Or., qui praetorem quem diximus successurum C. Verri iter facientem in Siciliam in via decessisse narrat. et confisi sunt huic testimonio conplures, velut Th. Mommsenus ad Borghes. l. c. p. 72, E. Herzogius in Paulyi encyclop. I, 2, p. 1757 ed. 2, alii. verum ego quidem facere non possum quin Brunero l. c. et Nipperdeio opusc. p. 310 n. adsentiar, qui Arrii praetoris in itinere mortem fictam esse censent eo consilio ut, cur ille Verri non successisset, facili modo explicaretur. nam Cicero, cum act. II in Verr. l. IV 20 42 sic loquitur, 'postea vero quam intellexerunt (Siculi et cives in Sicilia Romani) isti (Verri) virum fortem, quem summe provincia exspectabat, Q. Arrium, non succedere', non modo nihil de morte Arrii significat, sed ne potuisset quidem ita dicere, si ille exitu vitae ne Verri succederet impeditus esset. contra aptissima sunt haec verba, si Arrius alia provincia ne in Siciliam abiret prohibitus erat. quae qualis fuisset perspexit Borghesius l. c. p. 66. nimirum exercitus in bello servili ducendus propraetori datus erat. accedit quod qui oratorem Q. Arrium a praetore anni 681/73 diversum esse iudicant in alias difficultates incidunt. quippe

ille propter argumenta a Nipperdeio adlata pro filio huius haberi nequit. sed ut propositum persequar, Q. Arrius quoniam teste Cicerone in Bruto § 243 infimo loco natus et sine doctrina erat, facile putari potest ridiculum morem pronuntiandi a Catullo carptum origini suae debuisse, quando P. Nigidius, illorum temporum aequalis, apud Gellium XIII 6 3 rusticum fieri sermonem, si adspires perperam, declarat. avitumque fuisse Arrio nimium istum adspirationis usum ipse poeta v. 5 s. significat, cum matrem eius et matris fratrem et parentes sic dixisse suspicatur. deinde v. 7 Arrium in Syriam missum esse legimus. iam cum Q. Arrius cum M. Crasso et negotiis forensibus, ut supra vidimus, et communis militiae memoria — ambo enim in bello servili exercitus duxerant — coniunctus fuerit, haud inepte conicias eum huic, cum pro consule in Syriam esset profecturus, expetenti ac postulanti senatus consulto legatum esse, nam publico cum mandato Arrium Catullianum illuc ivisse verbum *missus*, quo utitur poeta, indicat. quae si vera sunt, carmen nostrum sub finem anni 699/55 scriptum esse adparet, quando Crassum iam mense Novembri huius anni nondum peracto consulatu in provinciam sibi destinatam sese contulisse scimus. ceterum Arrium a Catullo derisum M. Crassi proconsulis in Syriam comitem fuisse iam Borghesius l. c. p. 76 suspicatus est, sed eum esse C. Arrium illum a Cicerone epist. ad Att. II 14 2 et 15 3 commemoratum, qui pro oratoris filio habetur, sine idonea causa statuit. — plane ignotus nobis est Naso ille quem poeta c. CXII ut hominem loquacem simul et pathicum exagitare videtur (conf. adnot. crit.). neque notiores Gallus qui c. LXXVIII ut stupri inter propinquos facti administer castigatur et Aemilius c. XCVII propter oris foetorem contumeliosissime tractatus, quem quidem Catulli in nescio quibus amoribus rivalem fuisse extrema duo disticha produnt, et Vibennii pater et filius quos poeta in c. XXXIII alterum furem balnearium, alterum cinaedum vocat. — itidem ob furta, sed in conviviis facta, c. XII Asinius Marrucinus incusatur, frater natu maior C. Asinii Pollionis oratoris postmodo Vergilii et Horatii laudibus celebrati. nam alius esse Pollio iste qui v. 6 commemoratur prorsus non potest. Marrucinum autem quod Catullus Asinium a se vituperatum adpellat, id vulgo cum acumine quodam fecisse putatur, ut hominem ex Marrucinis, populo probitate conspicuo, oriundum eius modi rapacitatem minime decere significaret. quae explicatio artificiosior profecto quam vera est. at contra fidem mihi fecit Munro qui l. c. p. 39 s. Asinio cognomen Marrucino ad perpetuandam originis memoriam a patre Cn. Asinio inditum esse suspicatur. nam Pollionis cognomine in gente Asinia omnino

raro et pater caruit neque filius ille non caruisse potest. qui si eo usus esset, vix in nostro carmine sic uti fit a fratre distingui potuit. quemadmodum autem Pollio orator filio maximo in Gallia cisalpina nato hac ex re cognomen Gallo inposuit (conf. Drumannus II, p. 12), ita frater oratoris suum cognomen inde acceperit quod, priusquam pater Teati, Marrucinorum capite, Romam migravisset, in lucem editus esset. quem filium fuisse natu maiorem ex eo licet colligere quod Pollioni patris praenomen non erat, idemque etiam per Catullum quodam modo confirmatur, qui v. 9 Pollionem puerum vocat. Asinium igitur istum Marrucinum poeta unum e sudariis Saetabis a Fabullo et Veranio ex Hispania sibi dono missis surripuisse criminatur. unde quo fere tempore c. XII scriptum sit mihi videor definire posse. sed haec quaestio differenda est, donec ad duos illos Catulli amicos eorumque in Hispania peregrinationem disputando progressus ero. — carmini XII argumento persimile, multo autem illo acerbius XXV est, in quo Thalli cuiusdam rapacitas exagitatur. atque hoc sub nomine eundem Asinium latere Brunerus p. 637 inde colligendum esse arbitratur quod Catullus Thallum quoque v. 7 surrepti sibi sudarii Saetabi incuset: peragere igitur poetam hoc carmine quod se c. XII 10 s., si linteum non remitteretur, facturum esse minatus sit, sed ob acerbitatem versuum in fratrem Pollionis falso nomine adhibito. verum, ut omittam quod Catullus, cum Asinio hendecasyllabos denuntiaverit, Thallum iambis insectatur, at hunc quidem non solum sudarium Saetabum, sed etiam pallium catagraphosque Thynos, de quibus in c. XII nihil plane legimus, sibi furatum esse criminatur. quod cum ita sit, praestat confiteri Thallum nobis ignotum esse. nam Schwabii p. 149 ss. opinio, qui Iuventium eo nomine significatum esse coniecit, multo minus etiam commendationis habet. neque est omnino cur de ficto potius quam de vero nomine cogitemus. conf. Ellisius comment. p. 65 s., ubi praeter Apul. apol. 43 et 44 etiam inscriptiones non nullae nomen Thalli continentes adferuntur, quibus, si opus esset, facile aliae vel ex Gallia cisalpina addi poterant. ex catagraphorum autem Thynorum commemoratione iure colligitur c. XXV non ante annum 698/56 fere medium scriptum esse, quando vix dubitari potest quin Catullus illos e Bithynia secum domum attulerit. eandemque conclusionem, ut infra videbimus, sudarii Saetabi quoque mentio subicit.

Eiusdem generis carminibus non vereor etiam c. XLIX ad M. Tullium Ciceronem missum adnumerare. quod cum antea ita intellexissent ut poetam oratori serio gratias agere putarent, O. Ribbeckius libelli de Catullo p. 22 et 52 s. rectiorem inter-

pretandi rationem iniit, neque tamen rem expedivit. eius vestigiis ingressus epigrammaticam carminis acerbitatem perspexit E. Woelfflinus, cuius explicationem Iacobus Suessius in actorum semin. philol. Erlangensis vol. I, p. 30 s. publici iuris fecit. eandemque in universum sententiam postea Carolus Paulus Schulzius in annal. scholast. Berolin. t. XXXIV, p. 375 ss. pluribus defensum ivit (conf. ibid. t. XXXI, p. 700). contra ea veterem sententiam, etsi paullulum immutatam, O. Harneckerus quinque commentationibus crebras repetitiones non fugiendo mordicus tenuit (v. programmata progymnasii Friedebergensis annorum 1879 et 1882, annal. schol. Berol. XXXIII, p. 72 ss. et XXXV, p. 606 ss., philol. XLI, p. 465 ss.). qui quamquam saepius quid in adversariorum argumentatione falsum aut infirmum esset recte demonstravit, tamen obloquendi studio abreptus etiam ea negavit quae negari nullo modo possunt, fecitque intellegendo ut nil intellegeret. iam causas adlaturus quibus ipse adducor ut ironiam in c. XLIX adgnoscam a versibus 5 et 6 mihi proficiscendum esse sentio, ubi bis se Catullus pessimum omnium poetam vocat. hoc sincere ab eo dictum esse hodie vix quisquam opinabitur, nam Caroli Gustavi Helbigii commentum a Schwabio p. 127 laudatum pridem explosum est. si autem de se poeta non ex animi sententia iudicavit Catullus, ne Ciceronem quidem patronum existimari potest vere extollere voluisse, quoniam verba 'optimus omnium patronus' et 'pessimus omnium poeta' non solum eandem orationis formam ostendunt, sed etiam correlativis adverbiis *tanto* — *quanto* inter se conexa sunt. verum pessimus omnium poeta cum per se non possit nisi is intellegi qui ex omnibus quotquot sunt poetis infimus sit, verba 'optimus omnium patronus' duplicem a primo sensum admittunt, prout casum interrogandi ad adiectivum aut ad substantivum nomen trahis. atque in hac verborum ambiguitate non dubitamus quin poeta consulto luserit, quemadmodum eum c. LXXIX in vocabulo *pulcer* eodemque familiae Romanae cognomine lusisse supra ostendimus. neque negari potest hanc cavillandi rationem ingeniose a poeta institutam esse: quem enim secundum praegressa verba mox ut summum oratorem praedicatum iri expectamus, is subito ut vilis omnium, i. e. sontium pariter atque insontium, patronus inridetur, sed paullo tectius, ut leviter intuenti laudari potius quam vituperari videatur. at tamen vix ullum hominem Romanum illorum temporum aequalem fuisse existimamus quem vera poetae cogitatio et voluntas fugerit. indicant enim ironiam conplura vel in exordio carminis, veluti sollemne illud 'Marce Tulli', genus adlocutionis a reliquis Catulli carminibus alienum (nam c. XII 1, ubi item duo nomina in adlocutione coniuncta

inveniuntur, non praenomen gentilicio, sed cognomen additum est) frigidique sine dubio apud hunc animi signum, et sublimitas verborum universa similis illius qua in carminis XI parte priore Furii et Aurelii in se fidem amicitiamque poeta praedicat, quam non sinceram conlaudationem esse post Naekii de ea re disputationem a quovis conceditur. deinde vox *patroni*, qua Catullus in fine carminis utitur, ex eis est quae fere genetivum obiectivum qui dicitur ex se aptum habent, adpellaturque Cicero 'omnium patronus' a Caecina epist. ad famil. VI 7 4. quod quamquam amice et in laudem oratoris ab illo est dictum, facile tamen intellegitur etiam ab adversariis vituperandi causa aut per ludibrium dici potuisse. neque desunt vestigia quae Ciceronem re vera eius modi criminationibus saepius vexatum esse ostendant. ipse in orat. pro Cn. Plancio § 84 se a M. Iuventio Laterensi reprehensum esse testatur quod nimium multos defenderet, et apud Pseudosallustium invect. 3 5 'mercennarius patronus' audit. conf. etiam Cic. in Vatin. § 5. adparet autem talia nullo tempore iustius ei obici potuisse quam cum a. 700/54 Caesaris voluntati obsecutus eundem Vatinium in iudicio defenderet quem duobus annis ante in causa P. Sestii ut hominem sceleratissimum odiumque publicum vehementissime exagitasset. qua quidem defensione quanto opere vel aequiores amicorum suorum offenderit ex epist. ad famil. I 9 4 intellegitur. conf. praeterea Pseudosallust. inv. s. f.: 'Vatini causam agis.' quodsi reputo in ea causa C. Licinium Calvum, familiarissimum Catulli, accusatoris partes obtinuisse, ipsum autem Catullum, ut infra videbimus, inter audientes fuisse, eiusque in Vatinium odium ex c. LII perspici, facere non possum quin istam Ciceronis defensionem Vatinii in fine nostri carminis a poeta significatam esse cum Woelfflino censeam. relicum est ut quaeramus cur Catullus gratias maximas oratori agere videatur. nam aperte id non eloquitur. sed cum in ipsa hac gratiarum actione se pessimum omnium poetam vocet eaque verba exinde repetat ita ut Ciceronem patronum sibimet poetae opponat, dubitari non potest quin ad iniquum aliquod illius de suis carminibus iudicium ironice et cum acerba cavillatione respondeat. quod iudicium utrum publice Cicero an privatim fecerit sciri non potest, neque ad intellegentiam carminis scitu opus est, sed parum placuisse ei poesin Catullianam inde est colligendum quod veterum poetarum admirator omnino secus existimabat de novorum studiis, qua de re infra accuratius exponendum erit. iam si ita ut dixi c. XLIX accipitur, ingenio Catulliano dignum est habetque egregium acumen in extremis verbis positum, cum, si ironiam neges, prorsus inane sit poema, quod quid sibi velit omnino non in-

tellegas. — alium oratorem, Sestium, Catullus in c. XLIV ob frigidum scribendi genus inridet, qua cum inrisione laudem villae suae suburbanae lepide coniungit. simulat enim se legendo orationem illius in Antium petitorem tam vehementem sibi gravedinem tussimque contraxisse ut corporis curandi gratia in fundum suum Tiburtinum sibi confugiendum esset. hunc Sestium esse P. Sestium a Cicerone a. 698/56 defensum primus Achilles Statius suspicatus est, cui nostra aetate accessit Schwabius p. 303 s. atque huic sententiae plurimum sane commendationis inde est paratum quod ipse Cicero epist. ad famil. VII 32 1 et ad Att. VII 17 2 clientem olim suum hominem insulsum atque malum scriptorem esse satis aperte significat. quis vero Antius petitor fuerit, in quem Sestii extabat oratio, non possumus coniectura adsequi. quamquam, cum reputamus Sestium sumptuosas cenas facere solitum esse, id quod e versibus 9 10 21 intellegitur, difficile est non cogitare de Antio Restione illo quem Macrob. sat. III 17 13, p. 213 Eyss. paucis annis post legem Aemiliam a. 676/78 latam novam legem sumptuariam tulisse testatur (conf. etiam Gell. II 24 13). quod minime quidem volumus ita intellegi quasi orationem a Catullo commemoratam ad illam legem pertinuisse putemus. sed inter hominem gulae subtilioris et legis cibariae latorem mutua fuisse odia facile ad credendum est.

Transimus ad ea epigrammata in quibus Catullus poetas quosdam sibi aequales perstringit. et in c. XXII quidem ad Varum misso Suffenum hominem venustum et dicacem et urbanum esse ait, sed hoc vitio praeditum ut versus fundere consuerit plane rudes atque inconditos, eosque libris ornatissimis edendos curet atque ex tam pravo studio incredibilem voluptatem percipiat. idem Suffenus in c. XIV 19 una cum Caesio et Aquino inter pessimos poetas numeratur. hos omnes aliunde non novimus, nisi quod Cicero quoque Tuscul. disp. V 22 63, ut exemplum pessimi poetae proferret, Aquinum nominavit. neque enim dubitari potest quin pro nomine gentilicio *Aquinius*, quod optimi codices praebent, cognomen *Aquinus* restituendum sit (conf. Tac. hist. I 7. Martial. I 93 1), receperatque id Orellius in editione anni 1828. quod autem Cicero sibi fuisse cum Aquino amicitiam narrat, inde hunc et Catullo aliquanto maiorem natu et a. 710/44, quo posterior pars Tusculanarum disputationum scripta est, iam e vita egressum fuisse concludimus. — paullo plura dicenda sunt de Volusio, cui Catullus semel iterumque insultavit. atque in c. XCV quidem, a quo nobis proficiscendum est, Zmyrnam C. Helvii Cinnae amici, epyllion novem annis post quam coeptum erat editum, annalibus Volusii ita

opponit ut illam in remotissimis regionibus et post plurima etiam saecula lectum iri, hos autem 'Paduam ad ipsam', i. e. ipso eo loco ubi nati sint morituros scombrisque laxas saepe tunicas daturos esse auguretur. hoc igitur ex carmine Volusium Padi fluminis accolam, ergo Catulli et, ut videtur, Cinnae quoque popularem fuisse comperimus. Cinnam enim patriam habuisse Brixiam Kiesslingius commentat. in hon. Th. Mommseni script. p. 353 s. probabiliter statuit. annales autem Volusii versibus scriptos fuisse cum inde efficitur quod poeta eos cum Zmyrna conponit, tum c. XXXVI confirmatur, ad quod mox disputatio perveniet. neque vero dubium est quin hi annales eodem fere tempore quo Cinnae epyllion foras sint dati. qui nisi tum novi fuissent, absurde profecto Catullus ignobilem eis in natali solo interitum praedixisset. ceterum quod v. 3 codices exhibent nomen Hortensii, id manifesto depravatum est. nam totius ratio carminis demonstrat nullum poetam Cinnae oppositum esse a Catullo praeter unum Volusium. atque de Q. Hortensio Ortalo, oratore celeberrimo, quem subsicivis temporibus poematia quoque amatoria fecisse scimus, etiam nunc cogitari a non nullis vehementer miror. qui quo modo dici potuerit innumerabilem versuum numerum fudisse sive uno anno sive intra id temporis spatium quod Cinna in elaboranda Zmyrna consumpserat — utrum enim dixerit poeta amisso qui insequebatur pentametro diiudicari nequit — plane non intellego. deinde Ortalum illum ad quem Catullus c. LXV misit eundem Hortensium esse omnes consentiunt. haec igitur epistula, quae eodem circiter tempore quo c. LXVIII, i. e. anno 694/60 extremo aut insequentis dimidio priore scripta est (conf. quae supra p. XI et XXIV dixi), Ortalum docet non ita multo ante ab Catullo petivisse ut carmina Callimachi Latino sermone exprimeret, eiusque voluntati poetam eo obtemperavisse ut interpretationem comae Berenices carmine LXVI conprehensam oratori mitteret. in eadem epistula Catullus eum de morte fratris sui certiorem facit ita ut omnem maerorem suum in illius animo deponere videatur. unde virum clarissimum et amicum iuveni Veronensi fuisse et novorum qui tum dicebantur poetarum studiis favisse perspicitur, ut nullo modo putari posset in c. XCV tam inhumaniter a Catullo exagitatus esse, vel si hoc epigramma, ut Kiesslingius l. c. opinatur, tribus quattuorve annis post c. LXV scriptum esset. sed non ita se rem habere, immo c. XCV multo minore temporis intervallo ab illo distare et quidem ante factum esse infra docebimus. quae cum ita sint, certum est Hortensio nullum esse locum in hoc carmine, versumque eius tertium hodie mendo deformatum una cum perdito pentametro primitus ad eundem Volusium pertinuisse

cuius annalibus poeta in fine carminis triste fatum auguratur. ita demum huic epigrammati sua constat concinnitas, epicumque carmen, ut par est, non conparatur nisi epico, atque, cum in priore tetrasticho Cinnae diutino labori festinata Volusii versificatio sit opposita, in altero qualem uterque fructum inde laturus sit praedicitur. sequitur ut de eo disticho dicamus quod inter carmina Catulliana numero XCV[a] designavimus. quod quidem ad eadem eorundem poetarum opera spectare pro certo sumi potest. parvorum enim monumentorum nomen Cinnae epyllio egregie convenit. quibus cum tumidus Antimachus, i. e. vastum aliquod Antimachi carmen, opponatur, paene cogimur de annalibus Volusii cogitare, quos magnum amplumque opus fuisse carminis XCV versus 3 et 8 ostendunt. Graeci enim poetae nomen translate a Catullo adhibitum esse quis est quem fugiat? cuius translationis quae sit causa infra exponendi occasio erit. sed quamquam haec ita esse persuasum habeo, tamen Lachmanno adsentior, qui duos istos versiculos a c. XCV, cui antea adiuncti erant, separavit, mirorque recentiores editores praeter Hauptium et Vahlenum omnes ab illius ratione rursus discessisse. etenim c. XCV auguriis rerum futurarum aptissime clauditur, neque quae insecuntur bene cohaerent cum praecedentibus, stulteque sane fecisset poeta, si, postquam Volusii annales in ipso solo natali oblivione obrutum iri praedixit, nihilo minus in eodem epigrammate eos apud populum gratiosos esse concessisset. immo, nisi me omnia fallunt, hoc distichon tum demum conposuit Catullus, cum neque Cinnae epyllion eam gratiam neque Volusii annales eam contemptionem quam expectasset invenisse videret. sunt enim verba evidenter se suumque amicum consolantis et iudicium populi despicientis. itaque, ut c. XCV statim post editam Zmyrnam, ita c. XCV[a] tempore aliquo intermisso scriptum putamus. etsi autem in altero epigrammate neque Cinna neque Volusius nominatur — Baehrensii enim commentum, qui spreto probabili Avantii in fine hexametri complemento Cinnae nomen inseruit, iam a metricis rationibus reiectaneum est —, tamen quicumque id secundum c. XCV conlocatum videt et sententias in utroque sibi oppositas conparat, facile intelleget in posteriore eosdem homines significari de quibus in priore agitur. quod cum ne nunc quidem quemquam fugere possit, quanto magis aequalibus illorum temporum perspicuum fuisse putabimus? restat ut de c. XXXVI agamus, in quo Catullus a reditu in gratiam cum Clodia ansam petiit ut Volusio graviter insultaret. illam enim Veneri Cupidinique narrat vovisse, si ipse sibi esset restitutus, se pessimi poetae scripta igni tradituram esse. quod cum voveret Clodia, ipsius nimirum Catulli carmina per

lasciviam significavit. is igitur condicione accepta reconciliatus puellae pro se tamen Volusium substituit eiusque annales, quos contumeliosa adpellatione cacatae chartae notat, ad solvendum votum comburi iubet. sic enim re vera c. XXXVI accipiendum esse cum e v. 9 s., ubi 'pessima' puella iocose lepideque dicitur votum suum fecisse, tum e v. 18, ubi verba 'at vos interea' certam quandam oppositionem indicant, necessario colligitur, perspexitque iam Baehrensius analect. Catull. p. 15, quamquam id ipsum quod ad convincendum in primis aptum est non animadvertit. hoc autem poematium ex eis quae paullo ante exposuimus intellegitur circiter idem tempus quo c. XCV[a] scriptum esse, et, si recte in universum, ut confidimus, supra de carminum Catullianorum quae ad Lesbiae amorem spectant ordine temporibusque disputavimus, anno 694/60 fere medio scriptum est. hinc etiam quando Cinnae Zmyrna et annales Volusii edita sint probabiliter nobis videmur definire posse: utrumque opus sub initium eiusdem anni publicatum esse arbitramur. — de Volusio nihil praeterea notum est. nam quod post Hauptii in quaestionibus Catullianis disputationem (opusc. I, p. 71 s.) vulgo credunt significari hoc nomine Tanusium Geminum, id nuper P. E. Sonnenburgius in commentat. histor. Arnoldo Schaefero dicatis p. 158 ss. iure mihi inpugnasse videtur, quamquam argumentationem eius non totam adprobo. nec adducor ut aliter iudicem lectis eis quae Schwabius annal. philol. t. CXXIX, p. 380 ss. ad defendendam veterem opinionem attulit. nititur ea loco quodam Senecae philosophi qui epist. 93 11, postquam adversarium haec dicentem induxit: 'non tam multis vixit (Metronax philosophus) annis quam potuit', ad ea ita respondet: 'et paucorum versuum liber est et quidem laudandus atque utilis: annales Tanusii scis quam ponderosi sint et quid vocentur.' ubi extrema verba ad ignominiosum illud 'cacata charta' quod Catullus de vastis Volusii annalibus dixit referri putantur. quam coniecturam etsi speciosam esse non negamus, cum Seneca manifesto dictum aliquod et in vulgus notum et parum verecundum in mente habuerit, tamen conplura inpediunt quo minus ei fidem tribuamus. primum enim annales Tanusii versibus scriptos fuisse, sicut Volusii, ne vestigium quidem ullum est quod indicet, nec mediocriter erravit Schwabius, cum qu. Cat. p. 280 id e loco Senecae colligendum esse contenderet. deinde, cum Suetonii in Iul. 9 testimonio constet Tanusium historiam scripsisse, ex qua praeter illum Plutarchus quoque in Caes. 22 et Strabo XVII, p. 829 (conf. B. Niesius mus. Rhen. t. XXXVIII, p. 601) hauserunt, ad eandem Senecae verba respicere veri sane simile est, neque probabilitati huius sententiae id officit quod philo-

sophus annales quos Suetonius historiam vocavit, quando saepe veteres isto modo vel similiter titulos librorum historicorum variare solent. quodsi ita res se habet, Volusius Catullianus non potest esse Tanusius. incredibile est enim Suetonium et Plutarchum ad pertexendam Caesaris vitam opere versibus facto usos esse, nedum illum tali operi nomen historiae indidisse idque eodem loco cum M. Bibuli edictis et C. Curionis orationibus posuisse. huc accedit quod Plutarchus ex Tanusio M. Catonem in senatu censuisse refert Caesarem Usipetibus Tencterisque propter violatam a proconsule fidem dedendum esse. ea igitur res ad annum 699/55 pertinet. Volusii autem annales supra demonstrasse nobis videmur non post annum 694/60 in lucem editos esse. sed fac historiam Tanusii ab annalibus eius diversam hosque versibus perscriptos fuisse, quae Hauptii est sententia: ne tum quidem nullus scrupulus restat. neque enim ullo modo intellegitur qua tandem causa adductus sit Catullus ut pro Tanusii nomine aliud substitueret, et quidem nomen non ab ipso excogitatum aut vulgare, sed gentis Romanae proprium. nam quod Schwabius qu. Cat. p. 281 ad hanc difficultatem paullulum infringendam coniecit necessitudinem aliquam inter utriusque poetae familiam intercessisse, id, etiam si firmiore fundamento quam sola patriae communione niteretur, tamen nemini sufficeret reputanti Catullum ne a Caesare quidem aperte adoriendo abstinuisse, quamvis patrem suum hospitii iure cum illo coniunctum esse sciret. omnino autem demonstrari non potest in carminibus Catullianis ficta nomina inesse praeter Lesbiae et Lesbii, quorum quae sit causa patet. nam Mentulae et Ipsitillae nominum alia est ratio. quae cum ita sint, praestat poetam epicum illorum temporum adgnoscere cui verum nomen erat Volusio, aliunde eum non magis nobis notum quam Suffenus et Caesius. conparentque Volusii saepius in transpadanis inscriptionibus, veluti in Veronensi (C. I. L. V, 1, n. 3620) et in Brixiana (ibid. n. 4769).

Duo epigrammata CX et CXI Catullus contra Aufilenam quandam emisit, quae poetae iram eo moverat ut munera eius crebro acciperet, sed promissum officium praestare nollet. eam mulierem nuptam fuisse epigrammatis alterius exordium docet, Veronensem fuisse ex carminis C primis versiculis merito colligitur, ubi Caelius et Quintius, flos iuvenum Veronensium, ille fratrem puellae Aufilenum, hic ipsam Aufilenam deperire dicuntur. et legitur hoc nomen in conpluribus inscriptionibus Veronae aut in agro Veronensi repertis (C. I. L. V, 1, n. 3506. 3507. 4008. conf. praeterea n. 4129), nisi quod ibi constanter *Aufillenus* et *Aufillena* incisum est, quas formas Mommsenus censet etiam

apud Catullum restituendas esse, fortasse recte, praesertim cum c. CX 6 et CXI 1 codex Oxoniensis duplex l exhibeat. idem c. C ostendit Catulli amorem Aufilenae in tempus foedere eius cum Clodia posterius incidere. Caelio enim amanti poeta v. 5 ss. magis favet propterea quia is verum se amicum praestitit, 'cum vesana', inquit, 'meas torreret flamma medullas', quae verba non possunt nisi ad Lesbiae amorem referri. conf. p. XIV et c. VII 10. itaque vix errabimus, si tria ista carmina quae ad Aufilenam spectant anno 699/55 vel 700/54 adsignamus. eadem mulier nescio an fuerit contra quam Catullus pugillaria sua sibi reddere nolentem c. XLII hendecasyllabos suos tamquam canes convocat. Transpadanam enim eam fuisse inde cum aliqua probabilitate concludas quod v. 9 'catuli ore Gallicani' ridere dicitur. de Ametina autem et ipsa Transpadana, quae carminibus vicinis XLI et XLIII perstringitur, tamen cum Ellisio cogitare nolim ob eam causam quod cum hac Mamurrae amica non multum omnino poeta rationis habuisse videtur, eaque scortum erat pretio etsi magno redimendum. Aufilenam contra, mulierem, ut vidimus, viro nuptam, non palam sese in meretricia vita conlocasse cum per se intellegitur, tum carminis CX versus extremi confirmant, estque veri simile paullo maiorem Catullo cum hac usum intercessisse, quoniam saepe se munera ei detulisse significat (CX 4). itaque poetam aliquando codicillos apud Aufilenam reliquisse, quos ea postmodo flagitanti reddere recusavit, fortasse quia versiculos continebant in laudem puellae scriptos, facile ad credendum est. denique a fide non abhorret quod Westphalius p. 181 suspicatus est municipem istum Catulli in c. XVII propter segnitiem suam et uxoris aetate formaque florentis neglectionem ludibrio habitum maritum eiusdem mulieris fuisse. quod si verum est, hoc poematium factum esse adparet ante quam Catullus Aufilenam sollicitare inciperet. — res item Veronenses et Brixianae c. LXVII tanguntur. in quo qui nominantur aut significantur homines provinciales, illi quidem nobis plane ignoti sunt. sed universae poematis rationes non sunt tam obscurae quam vulgo putantur, recteque eas mihi videtur explicasse Munro p. 160 s. conloquitur Catullus in hoc carmine cum ianua domus Veronensis olim, dum a Caecilio Balbo maiore habitabatur, honestae, sed quae mortuo illo, cum Caecilius Balbus filius in matrimonium ivisset, inpudicitia novae uxoris polluta esset. ea mulier, etsi iam ante Brixiae viro fuerat nupta, tamen virgo domum Caecilii intrasse ferebatur, cum prior eius maritus propter inertiam aut infirmitatem corporis matrimonium non consummasse videretur. verum pater coniugis illius Brixiani, ita narrat ianua, nurum suam stupraverat sive inpio amore flagrans seu quia sterili filio

heredem dare cuperet, neque alii quondam Brixiae defuerant qui cum muliere rem haberent: nominatim adferuntur moechi eius Postumius quidam et Cornelius, tertius ita describitur ut Transpadanos Catulli aequales quis intellegeretur latere non potuerit. haec omnia poeta ianuam ex ore ipsius dominae submissa voce cum ancillis de flagitiis suis confabulantis audivisse fingit. iam qui Catullum bene novit vix dubitabit quin is, postquam ipse istam mulierem temptavit ab eaque spretus est, conponendo turpi hoc colloquio cupiditatem ultionis expleverit. — cum amoribus poetae etiam c. CIII cohaeret, epigramma in Silonem lenonem scriptum, quod verbo tetigisse satis est.

Homines a Catullo versibus inrisos aut proscissos tantum non omnes percensuimus, paucissimosque qui restant aptius una cum amicis poetae, ad quos iam progredimur disputando, commemorabimus. in eademque parte etiam de duabus puellis adhuc nondum prolatis, cum quibus Catullo aliquamdiu usus fuit, brevissime mentionem faciemus. ceterum haud pauca eorum quae huc pertinent supra, ubi res ferebat, praecepimus.

Primum Flavium quendam attingimus, quem amores suos celantem poeta c. VI amice cavillatus est. hic quis fuerit ignoratur. neque magis notus Camerius, quem diu per urbem quaesitum nec inventum Catullus iocoso carmine LV exhortatur ut ubi tandem lateat sibi denuntiet, cupere enim sese amorem suum in sermone ei exponere. conf. adn. crit. ibi cum v. 6 Magni ambulatio commemoretur, i. e. porticus theatri a Pompeio iterum consule exaedificati, adparet hoc carmen ante annum 699/55 extremum scribi non potuisse, probabiliterque insequenti demum anno scriptum est, quando, num prius porticus a Pompeio theatro adiecta populi usui patuerit, dubitari licet. hinc intellegitur amorem cuius Catullus in fine poematii Camerium participem esse vult nullo modo posse ad Lesbiam referri. nec omnino aliud istius foederis vestigium in corpore carminum nobis servato insit necesse est. at nihil obstat quin cum Westphalio p. 225 de ea muliercula cogitemus cui poeta c. XXXII 1 blandum nomen Ipsitillae a voce *ipsa*, i. e. 'domina', formatum indidit, aut, si mavis, de Postumia ista quae in carmine XXVII profusae hilaritatis pleno ut bibendi magistra 'ebrioso acino' ebriosior infertur. — pergimus ad Veranium et Fabullum, familiarissimos Catulli, de quibus quae erui possunt a carminibus IX XII XIII XXVIII XLVII petenda sunt. igitur e carminis XXVIII exordio ambos in cohorte Pisonis cuiusdam sive proconsulis sive propraetoris fuisse intellegitur. scripsit autem haud dubie Catullus hoc poematium, postquam Veranium et Fabullum ex provincia ad suos redisse cognovit, sed nondum ab ipsis nuntium

accepit. quaerit enim primum quid agant numque paullulum lucri illinc reportaverint, deinde eos pari fuisse casu in Pisonis cohorte, atque ipse in Memmii, suspicatur. neque enim recte Brunerus p. 635 e v. 11 conclusit poetam amicos iam praesentes salutare. immo Catullus, ut insequentia verba demonstrant, ex eis tantummodo quae ipse Romae de Pisone in urbem reverso animadvertit nihil illos in hoc comitatu lucratos esse colligit. itaque, cum initio carminis amicos cohortem inanem vocat 'aptis sarcinulis et expeditis', eos describit ita ut Roma in provinciam abeuntes, non inde redeuntes conspexit. statuendum est igitur, quemadmodum Catullus e peregrinatione Bithynica primum Veronam profectus est, sic Veranium quoque et Fabullum ex itinere reduces, priusquam Romam venirent, patriam urbem adiisse. quos et ipsos fuisse provinciales facile sibi persuadebit qui c. XXVIII, quod poetam Roma eis obviam misisse certum est, cum carminibus IX et XIII sine dubio itidem Romae scriptis conparabit, nec inprobabile est eos Veronae aut in vicino aliquo Galliae cisalpinae oppido natos fuisse. nam Veranii familiam Catullus bene nosse videtur (conf. c. IX 4), inveniunturque mulierum nomina 'Verania' et 'Fabulla' in inscriptionibus Veronensibus (C. I. L. V, 1, n. 3787 et 3441, 4). sed ut ad c. XXVIII redeamus, produnt hi versiculi simul tam recentem iram in Memmium ut dubitari nequeat quin eodem fere tempore atque c. X, in quo v. 12 s. simillima in illum opprobria leguntur, scripti sint, h. e. non multum post Catulli ex Bithynia reditum ipso etiam anno 698/56. quod si recte se habet, sequitur ut Veranius et Fabullus eodem anno cum Pisone, quo Catullus cum Memmio, in provincia versati sint eodemque fere tempore, etsi paullo illo tardius, inde decesserint. quaenam ista provincia fuerit e c. XXVIII non perspicitur. sed cum c. XII 14 ss. poeta Fabullum et Veranium sudaria Saetaba ex Hiberis sibi dono misisse dicat, idemque c. IX 6 s. Veranii sui suaves de ea terra narrationes cum desiderio expectet, iure hinc colligere videmur amicos Catulli Pisonem in Hispaniam secutos esse, malumusque de Hispania citeriore cogitare, ubi Saetabis oppidum lini cultura celebre situm erat. quam provinciam a. 697/57 Pisonem aliquem pro praetore administrasse nullo confirmatur testimonio. sed sufficit, credo, ne alium quidem novisse qui Hispaniam citeriorem tum temporis obtinuerit, cumque non omnes certe Pisones nobis in notitiam venerint, quidni aliquem de ea familia illam provinciam eo quem diximus anno rexisse e Catullo concludamus? cuius carminibus si destituti essemus, ne Memmium quidem praesidem Bithyniae fuisse sciremus. haec est Bruneri quoque p. 636 sententia. contra Iungclaussenus p. 20 cum eoque

recentiores qui de personis Catullianis scripserunt tantum non omnes Veranium et Fabullum comites fuisse statuunt L. Calpurnii Pisonis Caesonini, qui de consulatu a. 696/58 gesto in Macedoniam provinciam sibi destinatam abiit neque ante annum 699/55 sive medium sive extremum illinc revertit (conf. Schwabius p. 250 s.). quod si statuitur, carmina IX et XII, in quibus Veranii et Fabulli in Hispania peregrinatio commemoratur, a carminibus XXVIII et XLVII, e quibus eos comites Pisonis fuisse intellegitur, necessario separanda sunt. at tamen talis est carminum omnium quae Catullus ad hos amicos misit aut in quibus eorum mentionem fecit ratio atque condicio ut per se multo veri similius sit continuo sese excepisse ea quam longe diversis temporibus scripta esse, id quod magis etiam infra adparebit, ubi seriem rerum, qualem nobis mente formavimus, exponemus. deinde, si c. XXVIII anni 699/55 dimidio altero demum condidisset poeta, h. e. circiter anno et sex mensibus post suum ex Bithynia reditum, vix eum tam exacerbato in Memmium animo futurum fuisse arbitramur. denique Veranium Fabullumque, aeque atque Catullum, in cohorte propraetoris, non proconsulis fuisse nescio an cum Ellisio comment. p. 72 ex his verbis 'ut mihi, qui meum secutus Praetorem' (c. XXVIII 7 s.) probabiliter colligi possit. contra haec non multum valet, opinor, quod nomina *vappae*, *verpae*, *verpi Priapi*, quibus Catullus Pisoni insultat (XXVIII 5. 12. XLVII 4), moribus L. Pisonis Caesonini, quales a Cicerone orat. in Pis. § 42 et 69 et de prov. consul. § 6 describuntur, conveniunt, minusque etiam ponderis reliqui loci habere mihi videntur a Schwabio p. 247 ss. ad stabiliendam Iungclausseni sententiam ex eodem oratore congesti. his expositis ad reliqua quae huc pertinent poemata ordine enarranda convertimur. carminibus IX et XIII carmini XXVIII tempore proximis poetam adparet respondere ad amicorum epistulas quibus eum salutaverant brevique Romae sese adfuturos esse nuntiaverant. atque in priore quidem ad Veranium misso laetitiam qua se hunc ob nuntium perfundi sentit pulcherrimis versibus exprimit. alterum autem carmen ad Fabullum datum leporibus redundat ac facetiis. nam cum Fabullus Romam profecturus amico scripserit sperare se fore ut paucis diebus apud eum cenare possit, iocose rescribit poeta, si bene ille apud ipsum cenare cupiat, ei omnia ad id necessaria secum adferenda esse, cum ipsius sacculus plenus aranearum sit. quam inopiae confessionem optime congruere vides cum eis quae Catullus paullo ante utrique amico aperuerat, sibi in Bithynia plus expensum quam acceptum esse (v. c. XXVIII 6 s. cum adnot. critica). quod autem poeta addit se unguentum Fabullo contra oblaturum

esse puellae suae a deis amoris dono datum, mirum est quantum hinc Schwabius p. 242 s. (conf. etiam p. 245 s.) et Westphalius p. 150 s. concluserint: verba enim ista ad Lesbiam cum referunt, c. XIII vigente etiam Catulli erga eam amore scriptum esse existimant. qua quidem opinione iam illud debebat detinere quod poeta v. 4 candidam puellam amico ad cenam adferendam esse ait. quanto igitur rectius Brunerus p. 636 s. iudicavit, cum istam Catulli puellam in carmine ex meris iocis conposito strictim commemoratam una cum unguento eius divinitus delato omnino fictam esse censeret. sequitur ut de c. XLVII dicamus. id scriptum esse adparet, cum Veranius et Fabullus Romae advenissent atque cum Catullo conquesti essent sibi a Pisone Porcium et Socrationem, homines nobis ignotos qui et ipsi praetorem in Hispaniam comitati erant, praepositos esse. quos cum poeta in urbem reversos de lucro in provincia facto luxuriosa convivia instruere, sodales contra suos egere videret, stomachus ei motus est, vehementerque illos una cum Pisone fautore adoritur. — nunc etiam eam quaestionem apte inferemus quae supra differenda erat, quando c. XII videatur scriptum esse, in quo Catullus Asinium Marrucinum unum e sudariis Saetabis a Fabullo et Veranio ex Hispania sibi dono missis in convivio surripuisse criminatur. quod carmen dubitari non potest quin poeta absentibus etiam amicis conposuerit, praesertim cum v. 12 s. linteum ab Asinio subductum non pretii causa, sed ut 'mnemosynum' sui sodalis sibi carum esse dicat. at tamen cum manifesto Romae conditum sit hoc poematium, nequit anno 697/57 adsignari, quippe quo Catullus in Bithynia vixerit. itaque ad ver insequentis anni deducimur, putamusque poetam istos versiculos fecisse brevi post quam Verona, ubi eum ex itinere Bithynico primum paucos dies commoratum esse scimus, Romam venisset. qui etsi, ut vidimus, aliquo tempore post Veranium et Fabullum in provinciam abierat, tamen paullo prius illis in Italiam revertit. neque huic temporis definitioni ullo modo repugnat quod v. 9 C. Pollio, Asinii Marrucini frater, 'puer' dicitur. qui cum Tacito dial. c. 34 auctore altero et vicesimo aetatis anno C. Catonem accusaverit (qua de actione conf. Drumannus II, p. 3 et V, p. 204), sequitur ut a. 679/75 in lucem sit editus. erat igitur, cum Catullus c. XII scriberet, undeviginti annos natus poteratque optimo iure a poeta aliquanto maiore *puer* vocari, cuius nominis notio non magis quam *adulescentis* certis finibus circumscripta est (conf. Manutii comment. in Cic. epist. ad fam. II 1, p. 145 et 146 ed. Lips.). vixque Catullus ad hominis natu etiam minoris iudicium de furtis Asinii Marrucini ita ut in hoc carmine fecit provocare

potuit, nec immerito e versibus 6—9 colligere nobis videmur fuisse tum Pollionem iam in aetate qua ei conviviis interesse liceret. — transimus ad Varum, ad quem Catullus c. XXII misit. quod cum totum de Suffeno malo poeta sit, hinc ingenua studia atque artes Varo curae fuisse intellegitur. idem haud dubie homo in carmine X non multum post Catulli ex Bithynia reditum scripto commemoratur, ubi quid negotii procacitas puellae ab amico amatae iactanti sese poetae exhibuerit lepidissime describitur. quo in carmine id quod primis duobus versiculis narratur Varum utique prodit aetate Catullo proximum fuisse. esse autem eum popularem poetae P. Alfenum Varum Cremonensem, iurisconsultum clarissimum et consulem anni 715/39 (conf. Henzenus in C. I. L. I, p. 467. Ios. Kleinius fast. consul. p. 3), ut pridem conplures grammatici suspicati erant, hodie potest pro explorato haberi. nam et temporum rationes optime conveniunt, nec leve ei sententiae a patriae Transpadanae communione praesidium paratum est, videturque poeta, ut A. Kiesslingius l. c. p. 354 coniecit, illis 'Varus me meus ad suos amores Visum duxerat e foro otiosum' non sine acumine sua otia cum negotiis amici forensibus conponere. huc accedit quod Catullus c. XXX ad Alfenum amicum scripsit, quem eundem Varum iurisconsultum esse consentaneum est. cuius carminis quae sit ratio supra exposui, neque quisquam, puto, inde quod poeta ardore Clodiae flagrans moraeque inpatiens his asclepiadeis se a sodali qui suum in eo amore auxilium promisisset proditum esse queritur, familiaritatem inter ambos per omne vitae spatium turbatam esse concludet. — progredimur ad Septumium, cuius et Acmes mutuus amor c. XLV suavissime depingitur. hic quis fuerit ignoramus, egregieque hariolatur Westphalius qui p. 157 s. de eo coniecturae periculum fecit. Acmen libertam natione Graecam fuisse Schwabius p. 316 ex ipso nomine haud iniuria collegit. idem et Brunerus p. 647 ex v. 21 s., ubi Septumius puellam suam malle dicitur 'quam Syrias Britanniasque', recte effecerunt non ante aditam a Caesare Britanniam nuntiumque de ea re Romam autumno anni 699/55 perlatum poema hoc conditum esse. — Septumio apte Manlium Torquatum adiungimus, cuius cum Vinia Aurunculeia nuptias poeta praeclaro carmine LXI celebravit. nomen eius gentile v. 16 et 222 adfertur, cognomen e v. 216 perspicitur, avitam nobilitatem v. 212 et sequentes indicant. non est igitur ullo modo dubium quin amicus hic Catulli e notissima familia patricia oriundus fuerit, potestque nuptiale carmen ad L. Manlium Torquatum, filium cognominis consulis anni 689/65, praetorem anni 705/49, pertinere. quamquam quae Schwabius p. 340 ss. praeter temporum rationes ad

stabiliendam hanc coniecturam attulit, ea nimis levia sunt omnia partimque in falsissima de c. LXVIII opinione nituntur. neque idem p. 339 iure negasse mihi videtur de T. Torquato eo quem Cicero a. 709/45 in orat. pro Deiotaro § 32 'optimum adulescentem' dixisset cogitari posse, quoniam *adulescentis* nomen latissime patere inter omnes constat. quod vero sponsa Manlii Catulliani primum v. 16 Vinia, deinde v. 86 s. Aurunculeia vocatur, duplex nomen gentilicium Schwabius p. 334 Scaligerum secutus haud dubie recte ita explicavit ut eam a Vinio quodam adoptatam esse statueret.

Iam de poetis non nullis Catulli familiaribus exponendum est. c. XXXV Verona ad Caecilium Novocomensem, quocum Catullus conloqui cupiebat, missum est, docentque sex versiculi extremi illum tum poemate quodam in honorem Cybeles scribendo occupatum fuisse. quod quidem opusculum sitne absolutum umquam atque editum nescimus, quando omnis eius poetae memoria solo carmine Catulliano continetur. non potuisse autem Catullum hos hendecasyllabos ante annum 695/59 scribere Schwabius p. 295 recte ex commemoratione Novi Comi effecit, quod nomen Comum oppidum eo demum tempore quinque millibus colonorum per Caesarem illuc deductis accepisse scimus (conf. Drumannus III, p. 218 et 382). — c. XXXVIII ad Cornificium scriptum est. hunc esse cognominem poetam horum temporum, quem Ovidius trist. II 436 inter auctores levium carminum amatoriorum enumerat, cuiusque mortem Hieronymus ad annum Abr. 1976, i. e. 713/41 adscripsit, eo minus dubitari potest, quo certius ex ultimis huius carminis versiculis Catullus ad socium artis scribere cognoscitur. qui cum amicum sibi graviter aegrotanti nihil solacii attulisse questus sit, postremo paullum quid adlocutionis 'maestius lacrimis Simonideis' ab eo postulat, quibus verbis non errant qui Catullum poematium aliquod ad commovendam miserationem magis etiam aptum quam lugubria Simonidis carmina a Cornificio petere statuunt. — de C. Helvio Cinna Zmyrnae auctore et C. Memmii praetoris una cum Catullo in Bithyniam comite iam supra quae necessaria videbantur attuli. quibus quod nunc addam non habeo nisi unum hoc, epigramma illud Pompeio iterum consule factum (c. CXIII) Cinnae inscriptum esse, unde hunc pari contra potentes in republica odio cum poeta Veronensi coniunctum fuisse iure colligitur. — tria carmina, XIV L XCVI, Catullus ad C. Licinium Calvum oratorem et poetam misit, praeterea de eodem in c. LIII egit, suntque quattuor haec poematia summae inter utrumque familiaritatis testimonia. ex quibus carmen L, scriptum a Catullo postridie quam cum Licinio congressus erat multumque versiculis faciendis luserat, tempore

primum esse iudico. ibi enim illius lepore facetiisque adeo se incensum esse confitetur ut domum reversus cupiditate amicum revisendi ne somnum quidem capere posset, eumque inpense orat ut desiderii sui explendi sibi faciat copiam, quae omnia recentem tunc coniunctionem videntur indicare. huic carmini epigramma XCVI subicio, quod ad mortem mulieris a Calvo amatae nomine Quintiliae pertinet. eius funera ipsum Calvum elegis cecinisse Propertius III 34 90 ed. Lachm. testis est. iam cum Catullus epigrammate suo Quintiliam, si quid grati omnino defunctis a dolore desiderioque superstitum accidere possit, non tam immatura morte sua dolere quam amore Calvi gaudere enuntiet, manifesto ad lugubria amici de obitu eius mulieris carmina modo edita respicit, probabiliterque spem ab ipso elegorum auctore declaratam isto modo confirmare voluit. nam verba Calvi a Charisio p. 101 K. servata haece 'forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis' (fr. 17 ed. L. Muell.) elegiae in Quintiliam scriptae desumpta esse Lachmannus ad Propert. p. 141 haud dubie recte suspicatus est. vid. praeterea Hauptius opusc. I, p. 214 s., qui epigrammatis Catulliani rationem probe perspexit. de Quintilia nihil aliunde nobis notum. sed cum Calvum sciamus uxorem habuisse, ad quam epistulae eius adferuntur a Diomede p. 376 K. — neque enim e numero scriptorum ibi laudatorum Calvum cum Henrico Keilio removerim, quamquam verba grammatici aliquid mendi contraxisse certum est —, nihil videtur causae esse cur de alia muliere cogitemus, vixque ille, ut Schwabius p. 265 monuit, amicam in carminibus vero nomine adpellaturus fuisset. porro c. XIV ut scriberet Catullus Saturnalicio ioco Calvi adductus est, qui libellum nova pessimorum quorundam poetarum opuscula continentem ad amicum miserat. id igitur donum Catullus eodem Saturnaliorum die remisit additis his hendecasyllabis, in quibus, ut Calvum familiariter carpat, pro certo sumit eum horribilia ista poemata a cliente quodam accepisse, suspicaturque munus a Sulla litteratore datum esse et amico gratulatur quod tam digna laboribus suis praemia capiat. quae quidem cavillatio sane ingeniosa est, quoniam constat Saturnalibus, sicut amicis ab amicis, ita etiam patronis a clientibus varii generis munuscula offerri solita esse. conf. Prelleri mythol. Rom. II, p. 17 edit. tertiae ab H. Iordano curatae. perspicitur autem ex istis verbis Calvum eo ipso tempore in causa aliqua impeditiori patronum adfuisse Sullae. hic quis fuerit nescimus. sed cum litterator a Catullo dicatur, fortasse recte Muretus Cornelium Epicadum grammaticum, L. Sullae dictatoris libertum, significari censuit. qui cum mori convenienter nomen patroni accepisset, fieri potuit ut etiam cognomine etsi manu missis non concesso

tamen a populo per indiligentiam adficeretur. iam si quaerimus quonam anno c. XIV scriptum videatur, in solis tribus versiculis primis aliquid est ad eam rem auxilii, ubi Catullus sese Calvum, nisi eum plus amaret oculis suis, propter munus istud Saturnalicium 'odio Vatiniano' osurum fuisse adfirmat. qua quidem ratione poetam odium quantum fieri potest maximum significare voluisse certum est. neque minus certum est Vatinii in Calvum odium, non, ut quidam opinati sunt, universi populi aut utriusque amici in Vatinium odium intellegi, ita ut sententia verborum haec sit: 'odissem te tanto odio quanto te odit Vatinius.' sic enim rectissime procedit oratio, neque aptius profecto quicquam Catullus ad animum infestissimum declarandum commemorare potuit quam id odium quo reus in accusatorem suum ardere solet. Vatinium autem non semel, sed ter minimum a Calvo postulatum esse hodie pro explorato est habendum. atque in vulgus notum est eum a. 700/54 lege Licinia de sodaliciis a Calvo accusatum, sed Cicerone defendente absolutum esse. verum hanc neque solam neque primam actionem fuisse e Taciti dial. de orat. c. 34 extr. perspicitur, ubi altero et vicesimo aetatis anno Asinius Pollio C. Catonem, 'non multum aetate antecedens' Calvus Vatinium orationibus insecuti esse dicuntur; quo cum loco congruit testimonium Quintiliani l. XII 6 1 Calvum, Caesarem, Pollionem multum ante quaestoriam aetatem, qui erat illorum temporibus annus vitae tricesimus, gravissima iudicia suscepisse narrantis. haec adparet non posse ad accusationem quam diximus anni 700/54 spectare, quippe quo Calvus, quem Plinius nat. hist. VII 49 165 C. Mario Cn. Carbone tertium consulibus, h. e. a. 672/82, ante diem quintum Kalendas Iunias genitum esse refert, annum aetatis undetricesimum egerit. accedit quod Tacitus dial. c. 21 Calvi in Vatinium accusationes ac praecipue secundam ex eis orationem in omnium studiosorum manibus versari dicit; unde tres minimum accusationes fuisse merito colligitur. vid. Nipperdeius opusc. p. 330 s. fidem autem mihi fecit, licet satis neglegenti latinitate argumentationi suae nocuerit, Georgius Matthiesius commentat. philolog. in honorem Georgii Curtii conscriptarum p. 108 ss., Vatinium a. 698/56 a Calvo lege Tullia de ambitu postulatum esse. nisi quod hanc accusationem secundam atque omnium clarissimam fuisse non adducor ut credam, falsissimeque certe Matthiesius ad eam inter alia Calvi orationum in Vatinium fragmenta etiam illud a Quintiliano IX 2 25 laudatum rettulit, 'perfrica frontem et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem' (v. orat. Rom. fragm. ab H. Meyero coll., p. 477 ed. alt.); quae quidem verba in Vatinium praetura iam perfunctum dicta esse coniunctivus *fieres* demonstrat. itaque cum

plerisque orationem potius de sodaliciis secundam fuisse arbitror, in qua elaboranda Calvum plurimum operae conlocasse consentaneum est, quoniam reum a Cicerone defensum iri noverat. etsi enim Vatinium iam a. 696/58 postulatum esse lege Licinia Iunia e Ciceronis in eum interrogatione § 33 s. perspicitur, tamen tum temporis Calvum inter accusatores eius fuisse non satis constat — parum enim fidei habent scholia Bobiensia p. 323 Or., quando et in crimine adferendo est erratum —, idque iudicium vi Vatinii et P. Clodii disturbatum est, ut dubitare liceat num accusatoribus omnino copia loquendi data fuerit. eodem autem haud dubie anno quo secunda tertia quoque Calvi in Vatinium oratio habita est. etenim a. 700/54 bis iudicium factum esse de Vatinio Nipperdeius opusc. p. 336 rectissime inde conclusit quod Cicero epist. ad famil. I 9 4 et 19 non solum defensionem suam Vatinii, sed etiam laudationem iudicialem commemorat. sed ut revertamur unde degressi sumus, ex eis quae exposuimus probabiliter efficitur c. XIV Catulli non ante Saturnalia anni 698/56 scriptum esse, eique coniecturae etiam ab illis quae supra et de amoris Lesbiae et de itineris Bithynici temporibus disputavimus fides additur. neque vero anno 699/55 posterius esse hoc poema iudicaverim. nam a. 700/54 Calvum in agenda laboriosa Sullae litteratoris causa occupatum fuisse parum est credibile, quippe quo nomen Vatinii bis ad iudices detulerit. restat ut de c. LIII dicamus, in quo poeta unam ex causis Vatinii ipse commemorat. narrat enim aliquem e corona, cum Calvum crimina Vatiniana mirifice explicantem audivisset, admirabundum exclamasse haec, 'di magni, salaputium disertum!' qua in exclamatione vox plebeia salaputii ad parvulam Calvi staturam spectat, quam et Seneca controvers. VII, 4 (19), p. 332 Kiessl. et Ovidius trist. II 431 testantur. hos versiculos ad causam de sodaliciis referri facile inde colligas quod oratio ea in causa ab Calvo habita omnium eius in Vatinium accusationum, ut vidimus, celeberrima fuit. accedit quod eadem actio in c. XLIX significata est, si quidem recte id supra interpretati sumus. quemadmodum igitur isto in poematio Catullus Ciceronem qui Vatinium prospere defenderat ut vilem hominum etiam sceleratissimorum patronum perstrinxit, ita in hoc accusatoris sibi familiarissimi qui inferior discesserat eloquentiam ita extollit ut, quantum ea moverit audientium animos, lepido alicuius ex eis dicto adlato confirmet. quae si probabiliter disputata sunt, c. LIII mense Quinctili anni 700/54 scriptum est. conf. v. 1 et Matthiesius l. c. p. 100 not. extr.

De c. LVI Catoni cuidam inscripto disserendi infra locus erit. de Hortensio Ortalo, cui poeta c. LXV una cum coma

Berenices in patrium sermonem conversa misit, iam supra per occasionem quantum satis est diximus, itemque de Caelio Veronensi et de Allio. itaque nihil nunc relicum est nisi ut Catulli cum Cornelio Nepote necessitudinem adumbremus. cui poetam partem carminum suorum dedicasse exordium libri qui ad nos pervenit docet. nam quod vulgo credunt hunc ipsum esse librum quem Catullus Nepoti donaverit, id quam sit falsum in alia horum prolegomenon parte demonstrabitur. causam autem dicandi poeta adfert quod Cornelius de poesi sua honorifice iudicaverit iam eo tempore quo 'unus Italorum' instituisset 'omne aevum tribus explicare chartis'. quibus verbis chronica illius significari pridem intellectum est. atque Nipperdeius in praefat. edit. Cornelii a. 1849 publicatae p. XVI, quem Schwabius aliique secuti sunt, inde Nepotem conclusit in ipsis his chronicis Catulli mentionem fecisse. at omni eam opinionem probabilitate carere existimamus. parum enim intellegitur qui fieri potuerit ut Cornelius in opere quo omnem rerum memoriam ab ultima antiquitate notatis temporibus breviter conplexus est — ex tribus enim tantum modo libris constitisse totum ipse est Catullus testis — poetam adulescentem atque aequalem conlaudandum sibi sumeret. verba autem quibus Catullus utitur, 'tu solebas Meas esse aliquid putare nugas', ita sunt conparata ut ad aliquid potius in sermone a Nepote dictitatum spectare videantur, idque iam Ribbeckius l. c. p. 54 monuit. quae cum ita sint, Catullum existimandum est post laudem a Nepote sibi tributam chronica eiusdem non commemorasse nisi ut eum iam e satis longo tempore benevole de se poeta iudicare significaret doctumque amicum contra honorificis verbis prosequeretur. dolendum est autem ignorari quo anno chronica sint edita, nisi quod primum Cornelii opus fuisse probabiliter statuitur. ceterum is quanti poetam Veronensem aestimaverit hodie quoque ex ipso cognoscere licet, qui in vita Attici 12 4 L. Iulium Calidum 'post Lucretii Catullique mortem' multo elegantissimum poetam suam aetatem tulisse ait. praeter c. I etiam CII, in quo Catullus fidem secreti sibi commissi religiosissime se servaturum esse adfirmat, ad hominem nomine Cornelium scriptum est, quem nihil inpedit quin pro eodem amico et populari poetae habeamus.

Amicitiis Catulli inimicitiisque, quoad ex ipsis eius carminibus cognosci poterant, enarratis pauca quaedam, quae aliunde de vita poetae tradita extant, cum cura examinare volumus.

Suetonius Iul. c. 73 inter alia placabilis ingenii Caesaris documenta etiam hoc adfert: 'Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata inposita non dissimulaverat, satis facientem eadem die adhibuit cenae hospitioque patris

eius, sicut consuerat, uti perseveravit.' quo in loco versiculos de Mamurra iambos carminis XXIX intellegendos esse supra demonstravimus. iam cum c. XXIX anno 699/55 exeunte vel ineunte anno proximo conpositum sit, bellum autem civile Caesaris initio anni 705/49 exarserit, Catullum intra hoc temporis spatium imperatori satis fecisse oportet. namque Caesarem, cum hanc satisfactionem acciperet, nondum desisse Galliarum proconsulem esse iam ex eo efficitur quod Suetonius addit eum patris Catulli hospitio, sicut consuevisset, uti perseverasse. sed quod Brunerus p. 642, Schwabius p. 237, Westphalius p. 214 omnes uno consensu statuunt poetam anno 700/54 ineunte Caesaris gratiam sibi reconciliasse, id nos quidem falsissimum ducimus, vel si c. XXIX iam sub finem anni praecedentis conditum est. etenim, ut supra vidimus, hos iambos satis multa alia in Caesarem et Caesarianos carmina secuta sunt, quorum pleraque non ante annum 700/54 scripta esse aut certum aut veri simillimum est. num vero ullo modo est probabile Catullum statim post evulgata ista probrosa carmina veniam eorum a Caesare, quem sibi irasci haud ignoraret, petere ausum esse? immo ipsa rei natura suadet ut aliquantum temporis inter hoc et illud interpositum fuisse sumamus, eique coniecturae aliunde quoque satis firmamenti accedit. Suetonius l. c., priusquam id quod ad Catullum spectat memoriae prodit, narrat haece: 'Gaio Calvo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti ultro ac prior scripsit (Caesar).' quodsi reputamus Catullum et Calvum summa familiaritate inter se coniunctos fuisse armaque sua contra potentes in republica consociasse, non facile alterum sine altero consilium placandi Caesaris cepisse arbitrabimur. Calvus autem certe non potest imperatori iam a. 700/54 reconciliatus esse, quippe quo omnibus nervis contenderit ut Vatinium, ministrum Caesaris, perderet, eumque mense Quinctili absolutum denuo in iudicium vocaverit. quod quidem studium Catullus, ut supra vidimus, ita probavit ut familiarem suum propter mirifice explicata crimina Vatiniana extolleret, Ciceronem autem rei in gratiam Caesaris defensorem lacesseret. haec utrumque amicum anno quem diximus a consiliis pacis longe afuisse docent. vix autem potest dubitari quin Catullus in Gallia cisalpina, sive Veronae sive, quod malumus, in alio aliquo huius provinciae oppido, Caesari satis fecerit. parum enim credibile est poetam in Galliam transalpinam sese contulisse neque occasione citra montes cum Caesare congrediendi, quae fere quotannis tempore hiberno se offerre solebat, usum esse. iam cum Caesarem a. 701/53, quia maiorem Galliae motum expectaret, trans Alpes hiemasse sciamus (v. bell. Gall. VI 1), ad primos menses anni 702/52

deducimur, cuius initio sese in Galliam citeriorem ad conventus agendos profectum esse ipse testatur bell. Gall. VII 1. sub idem igitur tempus Calvum quoque in gratiam cum Caesare redisse suspicamur. sed eum per Catullum cum imperatore de reconciliatione egisse permira est coniectura Schwabii p. 237. etenim Calvo, viri praetorii filio ex antiqua gente Licinia atque oratori clarissimo, multo graviores haud dubie deprecatores aderant, neque is habebat cur ad hominem amicissimum quidem sibi, sed municipalem neque in re publica versatum confugeret. omnino autem ita sentimus, Calvum, quemadmodum Catullum ad bellum contra ipsum Caesarem suscipiendum incitavisse videtur, sic prius incepisse de pace cum illo facienda cogitare et amico ut idem consilium iniret auctorem fuisse. neque enim Brunerus p. 642 mihi fidem fecit, qui Catullum suspicatur a patre iussum esse imperatori Veronae commoranti satis facere. nam si severius omnino pater coercere voluisset filium, eum statim, puto, post publicatos truces iambos carminis XXIX vetuisset nova tela in Caesarem mittere. Calvum vero facile ad credendum est maximis turbis post caedem P. Clodii Romae coortis et instanti belli civilis periculo adductum esse ut reconciliandae sibi imperatoris potentissimi gratiae prospiceret. ceterum Caesarem tunc temporis Galliarum etiam proconsulem fuisse ex ipsis Suetonii verbis colligi potest, qui eum Calvo ultro ac priorem s c r i p s i s s e narrat. tardius autem quam primis mensibus anni 702/52 Calvus et Catullus vix in gratiam cum Caesare revertisse possunt, si quidem utrumque eodem fere tempore in rem ingressum esse conceditur, primum, quia Caesarem Suetonius tradit post poetae Veronensis satisfactionem hospitio patris eius uti perseverasse, quo illum non esse usum nisi dum Gallias regeret manifestum est, deinde, quia Catullus non ita multo post oportet de vita decesserit. atque ad hanc quaestionem nunc transeundum est.

Hieronymus ad annum Abr. 1959, i. e. 696/58, aut, si codices A P F Schoenii sequimur, ad 1960, i. e. 697/57, haec adscripsit: 'Catullus XXX aetatis anno Romae moritur'. eam temporis quo poeta mortem obierit definitionem non recte se habere inter omnes constat, quoniam certum est e carminibus Catullianis haud pauca annis 699/55 et 700 54 scripta esse. contra quod chronographus eum tricesimo aetatis anno Romae ex vita egressum esse tradit, id nihil est cur negemus verum esse, praesertim cum praematuram poetae Veronensis mortem etiam Ovidius amorum III 9 61 s. testetur his verbis: 'obvius huic (Tibullo) venias (in Elysia valle), hedera i u v e n i l i a cinctus Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.' atque transcripsit ista Hieronymus haud dubie ex Suetonii opere quod erat de viris inlustribus. itaque Lachmannus,

ut nodum expediret, adprobante Hauptio in quaestionibus Catullianis, opusc. I, p. 12, Hieronymum coniecit primum in definiendo Catulli anno natali confusis duobus consulatibus errasse ita ut, cum poeta Cn. Octavio M. f. C. Scribonio Curione consulibus, h. e. a. 678/76 genitus esset, natalem eius annum ad consulatum Cn. Octavii Cn. f. et L. Cornelii Cinnae, qui est annus 667/87, referret; deinde, ut congrueret Suetonii narratio, mortem Catulli ab anno 708/46 ad annum 697/57 removisse. verum haec coniectura nullo modo probari potest. nam si Catullus anno demum 678/76 natus esset, Clodiam quadrantariam puer quindecim annorum diligere incepisset, amoris enim huius initia in annum 693/61 incidere supra demonstrasse nobis videmur. cui temporis definitioni si quis nolit fidem habere, at concedat oportet Catulli cum ista muliere foedus ante annum 695/59 initum esse, quippe quo maritus eius Q. Metellus Celer sit mortuus. vivo enim eo poetam cum Clodia iam consuetudinem habuisse constat. certe igitur Catullus, si Lachmanni rationes probantur, nondum septemdecim annos natus erat, cum Clodiam, mulierem tum triginta quinque vel triginta quattuor annorum, amaret ab eaque contra amaretur, ita ut differentia inter aetatem utriusque esset undeviginti vel duodeviginti annorum. id non incredibile visum est Hauptio, ut e libri quem Christianus Belgerus de eo scripsit p. 245 perspicitur, neque est profecto per se prorsus incredibile, quamquam homo vix pueritiam egressus facilius ardore mulieris maturae atque plus quam tricenariae incendi quam amorem huius ipsius sibimet conciliare potuerit. at plane equidem nego c. LXVIII ab adulescentulo vix decem et septem annorum scriptum esse. conf. p. XXIV. est autem haec elegia vivente coniuge Clodiae, h. e. tardissime ineunte anno 695/59, conposita. deinde c. LII, quo Lachmannus tamquam fundamento coniecturae suae usus erat, non, ut tum vulgo putabatur, Vatinio consule, h. e. exitu anni 707/47, sed iam anno 700/54 conditum esse supra exposuimus. idque ita esse postmodo etiam Hauptius concessit (conf. quae ad opusculorum eius vol. I, p. 9 s. adnotavit editor), sed idem vel sic Lachmannianae coniecturae suam manere probabilitatem contendit propterea quod alioqui duplex Hieronymi et in anno natali poetae et in fatali error explicari non posset. verum si noverat chronographus Catullum mortem obisse anno aetatis tricesimo, alterum eius peccatum ex altero manare consentaneum erat. videor autem mihi causam erroris universi perspexisse. Hieronymum constat, ubi certas temporum notationes apud ipsum Suetonium non invenisset, eas ex rebus ab illo traditis coniecturas saepe levissimas faciendo conputandoque adsequi solitum esse, qua de re conf. Ritschelius

parergon p. 623 ss. iam cum Suetonius in vita Iulii c. 73 Catullum Caesari satis fecisse ab eoque cenae adhibitum esse narret, non potest dubium esse quin fere idem etiam in libri de viris inlustribus ea parte quae erat de poetis, sed hic quidem paullo plenius, rettulerit. quodsi ibi repperit Hieronymus Catullum in Gallia citeriore, cum Caesar ad conventus agendos illuc venisset, ab eo inpetrasse veniam, non multo autem post Romam reversum tricesimo aetatis anno mortuum esse, facile fieri potuit ut obitum poetae in primum vel alterum proconsularis imperii Caesaris annum incidere sumeret; unde consequens erat ut undetriginta vel triginta annis additis natales Catulli ad annum Abr. 1930, i. e. 667/87, adscriberet. verum utut hoc sese habet, certe conputi Hieronymiani, quorum alter qui ad annum mortis Catulli pertinet manifesto atque communi consensu vitiosus est, nullo modo nos inpediunt quin vitae tempus poetae ita constituamus ut omnibus quae huc faciunt rebus sedulo pensitatis veri simillimum nobis videtur. itaque, cum inter carmina Catulliana quorum tempora definire licet nullum inveniatur quod post annum 700/54 scriptum esse demonstrari possit, probabile est sane poetam non ita multo post e vita excessisse, praesertim cum eum tricesimo aetatis anno mortuum esse Suetonii testimonio constet. at miramur Catullum a plerisque credi ipso anno illo 700/54 mortem obisse, quasi poeta, ubi primum versus facere desinat, continuo debeat ad inferos descendere. neque, si nullum nunc carmen Catullianum anno 700/54 inferius reperitur, poetam nihil omnino post hunc annum scripsisse sequitur. nam et perierunt non nulla et eorum quae servata sunt multa certo temporis signo carent. est autem inter haec unum saltem quod aliqua cum probabilitate anno isto posterius esse conicias, carmen XXXVIII dico ad Cornificium missum, in quo Catullus sibi in dies et horas magis male et laboriose esse queritur, ut non errare videantur qui hos versiculos iam mortifere aegrotanti attribuant. quodsi cum flebili hoc poematio, adflicti graviter animi documento, illa carmina conparabis quae supra nostro iure anno 700/54 adsignavimus, longe diversum in eis sonum deprehendes. ostendunt enim ea aut hilarem alacremque animum, veluti c. LIII et magis etiam LV, quod novo insuper tunc amore poetam captum fuisse testatur, aut acerbitatem salis, ut c. XLIX et quattuor epigrammata in Mentulam scripta, neque ullum indicium propinquae mortis prae se ferunt. quod cum dico, ne c. LII quidem excipio, in quo Hauptius olim, cum hos iambos Vatinio consule factos putaret, quandam quasi mortis praesensionem fractique animi et cui vitae pertaesum esset adfectum sibi adgnoscere videbatur (conf. opusc. I, p. 11); quam opinionem postea ipsum abiecisse

patet, quoniam carmen istud iam a. 700/54 scribi potuisse concessit, at nihilo minus Catullum a. 708/46 demum mortuum esse probabile duxit. neque est profecto cur poetam illis 'quid est, Catulle? quid moraris emori?' aliud quicquam nisi summam indignationem suam significare voluisse arbitremur. quae cum ita sint, veri simile esse iudico c. XXXVIII post annum 700/54 cadere. deinde supra demonstravi non posse Catullum iam hoc anno cum Caesare in gratiam redisse existimari, probabiliterque reconciliationem eorum initio anni 702/52 adsignasse mihi videor. iam nihil obstat quin poetam eodem anno 702/52 sive medio sive extremo e vita egressum esse statuamus. quod si recte se habet, annus natalis Catulli est 672/82, quo anno Licinium Calvum quoque genitum esse vidimus. neque negari poterit vel hinc aliquid firmamenti nostris rationibus accedere. etsi enim familiaritati inter Catullum et Calvum intercedenti paullo maiorem alterius aetatem non omnino repugnare concedendum est, tamen eos, ut animis, ita etiam annis aequales aut paene aequales fuisse facilius credimus, praesertim si mentem ad res iocosas in carminibus XIV L LIII enarratas advertimus. restat ut ex loco Cornelii Nepotis qui est in vita Attici 12 4 iure colligi posse dicamus poetam Veronensem cum ante triumviratum Antonii, Octaviani, Lepidi, tum paullo post Lucretium mortuum esse; quod et ipsum cum nostra anni fatalis Catulli definitione optime convenit, vix enim cuiquam post Iani Woltieri in annal. philol. t. CXXIX, p. 134 ss. disputationem dubium esse potest quin Lucretius a. 701/53 decesserit.

Vitae tempore Catulli finito de studiis eius poeticis disserere adgrediamur. qua in re quod supra coniecimus Catullum, cum adulescentulus Romam pervenisset, ibi institutione Valerii Catonis grammatici et poetae usum esse, id nunc ante omnia argumentis confirmandum esse sentimus. de Catone quae scimus longe pleraque Suetonio de grammat. 11 debemus. qui inter alia eum multos et nobiles docuisse visumque esse peridoneum praeceptorem, maxime ad poeticam tendentibus, narrat eiusque rei documentum hos versiculos incerti auctoris adfert, 'Cato grammaticus, Latina Siren, Qui solus legit ac facit poetas', quorum posteriorem ita accipiendum esse adparet ut Cato solus non modo, ut ceteri grammatici, poetas praelegere commentarique, sed etiam novos excolere dicatur. conf. Weichertus poet. Lat. reliq. p. 359 n. et I. Steupius de Probis grammaticis p. 4 s. fuisse autem discipulos eius Ticidam, Helvium Cinnam, Furium Bibaculum e versibus eorum ibidem a Suetonio laudatis perspicitur. quodsi quis reputat Catullum Cinnae familiarem studiorumque communione cum eo coniunctum fuisse, iam hinc veri simile habebit utrum-

que eodem 'unico magistro', ut Catonem Bibaculus adpellavit, usum esse, eiusque coniecturae probabilitas augetur eo quod Cato teste Suetonio ex Gallia oriundus erat, quam haud dubie cisalpinam intellegendam esse recte videtur dixisse Naekius ad Valer. Cat. p. 255. erat igitur, quemadmodum Bibaculi Cremonensis et Cinnae, ut nobis quidem videtur, Brixiani, sic etiam poetae Veronensis popularis. atque inter carmina Catulliana unum extat, LVI, quod Catoni cuidam inscriptum est. quem non cunctamur cum Schwabio p. 306 ss. aliisque pro grammatico cognomini habere. ne quis enim eo offendat quod Catullum versiculos obscenissimos ad praeceptorem quondam suum misisse arbitremur: epigrammata Furii Bibaculi a Suetonio nobiscum communicata Valerium Catonem produnt in re familiari dissolutiorem fuisse parumque vitam suam ad rationis normam derexisse, qualium hominum pudor solet minor esse, ipseque Catullus eum quem adloquitur narratiunculis quamvis turpibus vehementer delectari significat. Cato hic praeter grammaticos libellos etiam poemata scripsit, quorum duo Suetonius nominatim adfert ut praecipue probata, Lydiam et Dianam sive Dictynnam, sicut eam Cinna adpellat in hexametro. de quibus poematis etsi parum nobis traditum est, tamen ipsos eorum titulos Alexandrinorum poetarum aemulationem prodere recte dixit Merkelius prolusionis ad Ibin p. 363. et Dianam quidem carmen mythologico argumento fuisse, in quo reconditiores quaedam de hac dea fabulae tractarentur, propter exquisitum nomen Dictynnae, quo Cinna usus est, facile Naekio l. c. p. 272 credimus. Lydiam itidem doctum opus fuisse Ticida insuper confirmat hoc versiculo, 'Lydia doctorum maxima cura liber.' neque equidem dubito quin hic liber, similiter atque Cynthia Propertii, ex conpluribus elegiis constiterit, quibus Cato praecipue amorem suum mulieris celebraret cui nomen indidisset Lydiae, praesertim cum Ovidius trist. II 436 eum inter levium carminum amatoriorum auctores referat, estque id et a Broukhusio ad Propert. p. 1 et ab aliis perspectum. quemadmodum autem Cato in delectu argumentorum rerumque tractatione doctorum poetarum Alexandrinorum vestigia pressit, ita eosdem non potest non in versuum conponendorum arte aemulatus esse. quod quidem non modo ratio voluntasque discipulorum quorum supra meminimus docet, sed etiam ex vetere quodam testimonio recte intellecto cognoscitur. utcumque enim de octo illis versibus statuitur Horatii satirae decimae libri primi in non nullis codicibus praemissis, certe rebus ibi commemoratis nemo facile fidem derogabit. inde Catonem comperimus Lucilii, cuius defensor esset, versus male factos emendare paravisse. volebat igitur poetae antiquo, cuius virtutes magni

aestimabat, sed in versibus faciendis incuriam adgnoscebat, eo subvenire ut quae in illius numeris displicerent ad elegantioris artis normam redigeret. neque enim ullam causam esse videmus cur Nipperdeius opusc. p. 491 versuum satirae Horatianae praemissorum scriptorem calumniando rem ita detorsisse statuerit ut, cum grammaticus Lucilii manum non corrigere, sed remotis vitiis ab aliis hominibus inlatis restituere adgressus esset, eum ipsos poetae versus emendare velle diceret. unde, si aliud nihil, hoc perspicitur, rudem artem antiquiorum poetarum Latinorum a Catone haudquaquam probatam esse. ipsa autem grammaticorum poeticorumque studiorum in eo coniunctio plane Alexandrino mori convenit. quodsi quis haec omnia cum eis conponet quae supra ex Suetonio attulimus, facile sibi persuadebit Valerium Catonem ducem et principem fuisse eius poetarum sectae quae extremis decenniis septimi ab urbe condita saeculi Alexandrinorum carminibus studiose lectitandis imitationeque exprimendis novae artis initia poneret. horum poetarum plerosque, i. e. omnes eos qui carmina amatoria fecerunt, Ovidius l. c. v. 427—442 enumerat. a quorum societate quod abest Furius Bibaculus, quem et ipsum Catonis discipulum fuisse vidimus, hinc cum Nipperdeio l. c. p. 501 concludimus eum ab illo poesis genere prorsus se abstinuisse. parum enim probabile est fuisse inter eos quos, contra ac Ticidam, Metellae amorem sub vero eius nomine cecinisse Ovidius significat. istis igitur poetis hoc commune erat quod antiquiorum poetarum Latinorum, qui Homerum potissimum et tragicos comicosque Atticos sive vertendos sive imitandos sibi sumpserant, vestigiis relictis Alexandrinorum maximeque Callimachi rationes et exemplum secuti minora tantum modo carmina conponebant, ut epyllia, elegias, iambos, epigrammata et id genus alia. et in epico quidem genere non res Romanas, sicut veteres illi, sed Graecorum fabulas tractabant easque praecipue sibi eligebant quae cum paullo reconditiores essent, tum magnum doctrinae adparatum admitterent. in eo numero sunt praeter Catonis Dictynnam Zmyrna Helvii Cinnae, Io Licinii Calvi, Glaucus Cornificii, Pelei et Thetidis nuptiae Catulli, probabiliterque etiam Cybele a Caecilio Novocomensi incohata (conf. supra p. LIII) eius modi carmen erat. qua ab consuetudine plane recessisset Furius Bibaculus, si verum esset quod scholiis Horatianis ad sat. II 5 40 confisi vulgo credunt, eum carmen epicum de bello Gallico conposuisse. at falso id credi nec inrideri ab Horatio Bibaculum, sed Furium Alpinum quendam aliunde non notum fidem mihi fecit Nipperdeius l. c. p. 499 ss. Varro autem Atacinus, cum carmen suum de bello Sequanico conderet, Ennianae etiam arti disciplinaeque

addictus erat. qui postquam teste Hieronymo ad ann. Abr. 1935 anno aetatis tricesimo quinto Graecas litteras cum summo studio didicisset, ad Alexandrinorum imitationem et ipse sese contulit. neque elegias eius a reliquorum Catonis discipulorum natura diversas fuisse Ovid. trist. II 439 s. et Propert. III 34 85 s. ostendunt. sed quod idem Argonautica Apollonii Rhodii, magnum epos et a Callimachi rationibus abhorrens, in Latinum sermonem convertit, eum aliquantum a scholae praeceptis declinasse putandum est. quanto autem magis hi poetae in condendis minoris ambitus carminibus fere adquiescere solebant, tanto diligentius ea Alexandrinorum more perpoliebant summaeque studebant et orationis et numerorum elegantiae. qua in re nemo ulterius processisse videtur quam Helvius Cinna, cuius Zmyrnam, parvum opus, novem annis elaboratam esse scimus. sed idem in eodem carmine etiam vitia Alexandrinorum poetarum diligentius quam studiorum consortes expressisse videtur. quod quidem epyllion Philargyrius ad Vergil. ecl. IX 35 adeo obscurum fuisse testatur ut non nulli eius aetatis grammatici ex illius enarratione magnam gloriam consecuti sint. neque vero dubium est quin id ipsum Cinna sibi laudi duxerit, quemadmodum Alexandrinis quoque poetis interpretem et requirere et invenire honorificum est visum. conf. Merkelius ad Ibin p. 347. sed quod isti poetae ad unum omnes rudi arte antiquiorum spreta in oratione et in versibus limam tanto cum studio consectabantur, viam praemuniverunt ad perfectionem illam quae Augusti tempore adparuit, continetur-que ea re principale totius scholae Catonianae de litteris Latinis meritum. iam si quaerimus quid aequales de hac secta iudicaverint, in diversas eos sententias discessisse reperimus. non deerant fautores novae rationis inter viros horum temporum primarios. Hortensium Ortalum oratorem a Catullo elegias Callimachias in Latinum sermonem conversas expetivisse supra vidimus, ipsumque horis subsecivis carmina amatoria Alexandrino stilo scripsisse Ovidius testis est, cum inter eos qui ante se amores cecinerint Hortensium quoque laudet una cum Varrone Atacino, Catone, Cornificio, Cinna atque sociis. idem in C. Memmium cadit, cuius poematorum Ovidius eodem loco mentionem facit, quemque, cum ad regendam Bithyniam provinciam abiret, Catullum et Cinnam secum duxisse scimus. consentaneumque est artis progressionem libenter amplexum esse eum quem Cicero Bruti § 247 perfectum litteris, sed Graecis, fastidiosum Latinarum dicit. at Ciceronem suus veterum poetarum amor atque admiratio inpediebat quo minus aequum se eis iudicem praeberet qui ab illorum consuetudine palam recederent. quamquam, cum ipse solutam orationem tanta cum subtilitate ad

Graecorum exemplar expoliverit, mirari sane licet quod in poesi ne ea quidem studia quae ad maiorem sermonis versuumque cultum spectabant ita ut par erat adgnoscebat. neque vero in scriptis suis hanc poetarum sectam commemorat nisi ut vituperet aut inrideat. et in oratore quidem § 161, ubi de s litterae finalis ante insequentem consonam detractione disserit, quam antiquioribus poetis omnibus probatam esse constat, eam ut subrusticam iam fugere poetas novos ita narrat ut animo se dissentire haud obscure significet. ipseque in Arati phaenomenis ab adulescentulo conversis saepius istam licentiam sibi indulsit una cum aequalibus M. Terentio Varrone et Lucretio. sed cum oratorem conscriberet, nova consuetudo adeo invaluerat ut qui in litteratis numerari vellet non posset quin ad eam se accommodaret. itaque in versibus posteriore vitae tempore a se factis etiam Cicero, cum alia conplura ex vetustate retineret, ab s littera detrahenda coactus abstinuit. iam novorum poetarum, h. e. eorum qui e schola Catonis prodierunt, nemo, quod sciamus, hanc apocopen admisit praeter unum Catullum, cuius in extremo carmine hic invenitur pentameter, 'at fixus nostris tu dabi' supplicium.' nam Laevius, qui in Protesilaudamia fortasse dixit 'gracilenti' colorem' (fragm. 22 Muell.), etiam si eiusdem sit aetatis, quod ambigitur, certe non novis qui vocantur poetis adnumerari potest, quippe cui magis conveniat cum Varronis Reatini rationibus. sed cum ex loco Ciceroniano quem attulimus intellegatur s litterae apocopen prorsus abhorruisse a sectae Catonianae placitis, Catullum in tot versibus semel dormitasse non est credibile, videturque potius in hoc epigrammate licentiam alioqui spretam cum certo quodam consilio adhibuisse, nec inepte suspicere petita esse verba 'dabi' supplicium' ex ipsis Gellii versibus in Catullum factis ad inridendum adversarium. alter locus qui ad nostram quaestionem pertinet est in epistularum ad Atticum VII 2 1, ubi Cicero in narranda felici sua navigatione facto ioci causa hoc hexametro 'flavit ab Epiro lenissumus Onchesmites' ita pergit: 'hunc σπονδειάζοντα si cui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendito.' quibus verbis nimium novorum poetarum amorem versuum heroicorum in binos spondeos exeuntium lepide nec immerito perstringit. nimium amorem dicimus. nam spondiazontibus omnino abstinere paucissimi tantum poetae Graeci Latinique animum induxerunt, ipseque Cicero in Arateis semel eius modi hexametrum admisit (vol. XI, p. 107 ed. Bait. et Kays., v. 237). conf. A. Viertelius in annal. philol. t. LXXXV, p. 801 ss. et A. Ludwichius in dissertatione de hexam. poet. Graec. spondiacis Halis a. 1866 edita, quibus tamen utrisque, cum in Ciceronis Arateis duo spondiazontum exempla inesse crederent, accidit ut

versum Hugonis Grotii pro Tulliano haberent. sed cum in Homeri carminibus, licet haud raro vel bini spondiazontes atque non numquam adeo plures continuati sint, nulla tamen eorum captatio adpareat, Antimachus Colophonius primus eius modi hexametros aurium oblectamenti causa adscivisse videtur. habet enim pro paucitate fragmentorum nobis servatorum permultos, convenitque tale artificium cum huius poetae rationibus. maxime vero Alexandrinis poetis eius generis hexametros in deliciis fuisse calculi a Ludwichio p. 11 s. subducti demonstrant. veluti Callimachus in hymno primo, qui nonaginta sex versus heroicos conprehendit, non minus quattuordecim binis spondeis terminavit, ut sextus quisque fere septimusve versus sit spondiacus. Eratosthenis Cyrenensis fragmentum quoddam carminis quod *Ἑρμῆς* inscriptum erat p. 2 ed. Hiller., v. 20—35 (conf. p. 56 ss.) inter quindecim hexametros septem spondiacos praebet. Euphorionis inter reliquias duodeviginti nos quidem certa spondiazontum exempla numeravimus, suntque in eis tres continui (n. XXVII Mein.). quae cum ita sint, dubitari nullo modo potest quin novi isti poetae Latini, quos Cicero ob crebriorem versuum spondiacorum usum inridet, hoc quoque artificium ab Alexandrinis acceperint. quatenus autem in adhibendo eo progressi sint, hodie non potest nisi e Catulli carminibus cognosci. qui cum in distichis duodeciens spondeum in quintam sedem hexametri admisit, tum in epyllio de Pelei et Thetidis nuptiis, quod quadringentos octo versus continet, triginta spondiacos esse voluit ibique tres posuit continuos (v. 78—80). conf. I. Baumannus in programmate Landisbergensi anni 1881, p. XI s., qui omnia exempla enumeravit. simillimae autem haud dubie fuerunt reliquorum eiusdem sectae rationes, quamquam nunc unus tantum Cinnae spondiacus (fr. 7 L. Muell.) itemque unus duove Varronis Atacini (in Riesii sat. Menipp. Varronis Reat. editione p. 261 s.) extant. tertius locus quo Cicero de novis poetis mentionem iniecit est in Tusculan. disput. III 19 45, quo loco adlatis conpluribus versibus ex Ennii Andromacha hunc in modum pergit: 'o poetam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.' quibus in verbis sunt qui putent Ciceronem vel unice vel praecipue de Cornelio Gallo cogitasse, quem Euphorioneos elegos conposuisse veterum testimoniis constat. verum Gallus num annis 709/45 et 710/44, quibus Tusculanae disputationes conscriptae sunt, iam innotuerit ambiguum est, suntque Ciceronis verba ita conparata ut adpareat generatim ibi eosdem significari quos locis supra laudatis poetarum novorum sive *τῶν νεωτέρων* adpellatione notaverit. etenim contemnere Ennium iure dici potuerunt omnino ei qui ab illius arte discesserant, cantoresque

Euphorionis haud dubie intelleguntur non qui Euphorionem solum, sed qui una cum hoc etiam reliquos poetas eius similes imitatione expresserint. scilicet Chalcidensem poetam Cicero exemplum profert adfectatae doctrinae obscuritatisque, qua plerique poetae aetatis Alexandrinae laborabant, opponitque hic Ennio, sicut eundem Homero opposuit in libro de divinat. altero § 132. eodem in universum modo iam alii locum Ciceronianum acceperunt, ut Merkelius ad Ibin p. 356. itaque etiam si nullum in Catullo Euphorioneae imitationis vestigium deprehenderemus, tamen ne hunc quidem non a Cicerone significari existimaremus. neque vero obest nostrae sententiae quod poeta Veronensis tum, cum Cicero ista verba scriberet, iam de vita decesserat. nam et hoc loco et duobus reliquis quos antea attulimus, qui et ipsi post mortem Catulli scripti sunt, Cicero totam istam poetarum aequalium factionem inpugnavit, cuius communia et propria essent placita eaque ab antiquiorum poetarum Latinorum, quos ille admirabatur, ratione longe diversa. ceterum in epyllio de Peleo et Thetide versum 30 *Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem* simillimum esse Euphorionei *Ὠκεανός, τῷ πᾶσα περίρρυτος ἐνδέδεται χθών* (fr. CLVIII M.) iam alii adnotaverunt, neque dubitamus quin inter epica poetae Chalcidensis carmina fuerint quibus Catullus in narratione de Ariadna potissimum pertexenda uti posset, *Μοψοπίαν* dicimus et *Διόνυσον* et *Γέρανον*, cuius quidem carminis titulum a saltationis genere in Creta et Delo insulis olim usitato desumptum esse nobis quidem probabile videtur. conf. Meinekius anal. Alexandr. p. 12. 20 s. et Prellerus mythol. Graec. II, p. 296 ed. alt. pertractavimus Ciceronis de hac poetarum factione iudicia. nec aliter in universum sensisse omnes qui tum essent veterum Camenarum admiratores consentaneum est. quo plures autem poetae novi artis suae obtrectatores inveniebant, eo magis sese mutuo adiuvare fetusque suos epigrammatis extollere studebant, ceterum hac quoque in re Alexandrinum morem secuti (conf. Callim. epigr. XXIX Schneid.). erantque plerique ex eis, ut videtur, non solum scholae communione, verum etiam amicitiae vinculo inter se coniuncti. sic Catullus, ut supra memoravimus, et Zmyrnam Helvii Cinnae et Licinii Calvi elegias modo editas carminibus XCV et XCVI celebravit. porro Ticidae versus apud Suetonium extans huc referendus, quo Lydiam Catonis doctorum maximam curam esse ait, ubi qui d o c t i vocantur eos non alios esse quam poetas novos pridem intellectum est. denique de eiusdem Catonis Diana Cinna versu itidem per Suetonium memoriae prodito consimiliter praedicavit atque Catullus de Zmyrna (conf. c. XCV 6). eidem studiorum consortes, quemadmodum inter ipsos laudabant atque

promovebant, ita eos ex aequalibus poetis inpugnabant diffamabantque qui veteris artis tenaces nihil se novis placitis moveri paterentur. certe qui a Catullo ut pessimorum carminum conditores inridentur Caesius, Aquinus, Suffenus, Volusius, ei, licet re vera iratas habuerint Musas, quod de Aquino saltem concedendum est, de quo etiam Ciceronis iudicium extat Catulliani simillimum, tamen dubium esse nequit quin ea potissimum de causa odium poetae Veronensis sociorumque sibi contraxerint, quod viam ab his initam sequi nollent. quos antiquiorum vestigia pressisse merito iam inde colligas quod eiusdem generis poetae quidam 'saecli incommoda' vocantur in c. XIV 23, i. e. homines qui ad ingenium saeculi accommodare se nesciunt. sed certiora etiam eius rei praesto sunt indicia. et Aquinum quidem, cui cum Cicerone amicitiam fuisse scimus, in exprimenda vetere versuum faciendorum arte adquievisse per se intellegitur. Suffenum Catullus c. XXII 14 in poematis infaceto esse infacetiorem rure ait, quam quidem reprehensionem non ad tractationem rerum, sed ad elocutionis genus et numeros pertinere facile sibi persuadebit qui loci Tulliani supra a nobis citati meminerit, quo poetae novi s litterae finalis apocopen fugere dicuntur ut subrusticam; cui loco haud inepte alterum adiungimus Prisciani ex libro I, p. 27 H., qui postquam cum alia vetusta tum Lucretiana illa *fretu* et *Acherunte* attulit, 'quae tamen', inquit, 'a iunioribus repudiata sunt, quasi rustico more dicta'. atque opponuntur in isto carmine mali versus hominis urbanitati eius morumque elegantiae. conf. etiam Horat. epist. II 1 160. eadem fere, quae in Suffeno, Catullus reprehendenda sibi esse putavit in Volusio, cuius annales 'pleni ruris et inficetiarum' dicuntur in c. XXXVI 19. nec dubitari potest quin hic quidem, cum res Romanas amplo carmine epico tractaret, Ennii exemplum in primis secutus sit. cuius opus cum in carminibus XCV et XCV^a parvo, sed diu elaborato Cinnae epyllio contrarium ponatur, inde quoque quale fuerit perspicitur, suntque duo ista epigrammata, quae quonam tempore scripta essent et quam inter se rationem haberent supra demonstravimus, monumenta certaminis inter novos poetas et veterum imitatores notatu dignissima. mirum est autem quam accurate Catullus in aestimandis duobus illis poetis, amico altero, altero adversario, notissima quaedam Callimachi iudicia expresserit. nam cum parva Cinnae monumenta sibi cordi esse, at populum tumido Antimacho gaudere iubet, quis eum non videt tamquam Romanum Callimachum illa *τὸ μέγα βιβλίον ἶσον τῷ μεγάλῳ κακῷ* et *σικχαίνω πάντα τὰ δημόσια* et *Λύδη καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν* in rem suam convertere? et intellexit pridem Merkelius ad Ibin p. 366, etsi vera falsis miscuit. ceterum

Volusius, poeta Ennianae artis studiosus nec ingratus populo, per se non satis apte profecto aequiperatur Antimacho Colophonio, doctae poesis antistiti et qui in rebus non paucis exemplum Alexandrinis poetis praebuerit. sed suffecit Catullo quod is Callimacho magistro inprobatus erat. cuius modi nimia alieni iudicii imitatio adulescentulum prodere videtur scholae placitis plus aequo etiam inplicitum, confirmanturque hinc rursus ea quae supra de tempore carminum XCV et XCV[a] disputavimus.

Iam si plura nobis Alexandrinae poesis monumenta servata essent, multo plenius, quantum Catullus ex ea pendeat, iudicare liceret. nunc in tanta carminum Alexandrinorum iactura huic quaestioni non potest nisi ex parte satis fieri. igitur, ut a re longe certissima ordiamur, comam Berenices sibi expressam esse e Callimacho ipse poeta testatur c. LXV 16. neque est cur dubitemus quin Catullus, quoad metri necessitas permitteret, satis accurate elegiam Battiadae converterit. conf. O. Schneideri Callimacheorum vol. II, p. 146 ss. quae autem huic elegiae praemissa est ad Ortalum epistula, ea imagine terminatur coloris prorsus Alexandrini, ut fuerint qui praeeunte Rossbachio sex versus extremos a praecedentibus seiunctos pro parte alterius cuiusdam elegiae itidem a Catullo e Callimacho expressae haberent. conf. C. Diltheius de Callim. Cydippa p. 65. verum haec opinio iam ab aequalitatis rationibus reiectanea est. nam cum protasis longa interclusione aucta per quattuordecim versus decurrat, male sequeretur apodosis duobus tantum distichis conprehensa. itaque sic potius statuimus, Catullum ne in epistula quidem quae comam Berenices ad Ortalum mittendam comitaretur ab universa Alexandrinae poesis indole recedere voluisse. deinde praeclara illa ad Allium elegia, etsi tota rebus ad ipsius vitam poetae pertinentibus nititur, dubitari tamen non potest quin in media saltem parte plane ad exemplar Alexandrinarum elegiarum conposita sit: tam artificiose ibi encomium amici cum Lesbiae laudibus et Laodamiae amoris narratione et fratris in terra Troiana mortui lamentatione conectitur, manifestaque est in conparationibus potissimum, quarum omnino magnus numerus invenitur, quaedam exquisitioris doctrinae captatio. epylliorum autem Alexandrinorum imitatione adparet carmen de Pelei et Thetidis nuptiis factum esse. quae quidem imitatio qualis sit et quibus potissimum ex rebus cognoscatur M. Hauptius opuscul. II, p. 75 ss. demonstravit, idemque docuit Catullum, cum formam Alexandrinae poesis epyllio suo exprimeret, nec ad unum ducem se adiunxisse neque ab antiquioribus poetis Graecis nihil mutuatum esse. conf. etiam C. P. Schulzius in annal. philol. CXXV, p. 210 ss. similiter de Attine videtur iudicandum esse.

quod carmen ex arte Alexandrina pendere iam inde licet concludere quod multa recentiores poetas Graecos in matrem deorum metro galliambico scripsisse Hephaestionis p. 39 Westph. testimonio constat. neque enim recte Westphalius Hephaestionis esse haec verba negavit. porro cum scholia codicis Saibantiani ad h. l. (p. 194 Westph.) ex istis poetis nominatim adferant Callimachum, nobis quoque persuasum est duos versus ab Hephaestione sine nomine auctoris citatos hosce, Γαλλαὶ μητρὸς ὀρείης φιλόθυρσοι δρομάδες, Αἷς ἔντεα παταγεῖται καὶ χάλκεα κρόταλα, ad Battiaden referendos esse, id quod iam ab O. Schneidero Callim. II, p. 698 dubitanter coniectum pro explorato habet Wilamowitzius in Herm. XIV, p. 197. nec possumus non eidem adsentiri e feminino nomine Gallarum, quo et Graecus et Latinus poeta eviratos Cybeles sacerdotes singulari sane usu adpellaverunt, Catullianum carmen in imitatione Callimachei positum esse colligenti. ceterum cum multa extarent recentiorum in magnam matrem carmina galliambica, probabiliter Catullus non unum solum ex eis secutus est. nec desunt in Attine ex antiquioribus fontibus hausta. veluti Pasithea Somni uxor v. 43 commemorata haud dubie ex Iliade fluxit (XIV 269 et 276). denique illud incantamentorum carmen nunc amissum, quod Plinius nat. hist. XXVIII 2 (4) 19 una cum pharmaceutriis Theocriti et Vergilii ecloga VIII significat (v. fragm. IV), Graeci idyllii exemplo factum fuisse nemo erit qui neget. itaque maiorum doctiorumque carminum Catulli unum conversum e Callimacho, conplura aut inventione aut conpositione aut utraque re ex arte poetarum Alexandrinorum apta esse vidimus. posterioris generis non nulla etiam inter minora lyrica et epigrammata deprehenduntur. tale esse c. XLV ex universo eius sono colligi potest, nec alienam fuisse ab Alexandrina poesi Amoris faustum omen sternuentis imaginem Theocritus VII 96 ostendit. certius etiam de c. LXX iudicium est, cui cum Callimachi epigrammate XXVII Schn. adeo convenit, hoc ut Catullo illos versiculos scribenti pro exemplo fuisse confidenter adfirmare liceat: nam cum sententiae in utroque similes sint, tum eadem plane est orationis conformatio, accuratissimeque respondent sibi v. 1 et 3 illa Ὤμοσε — Ὤμοσεν· ἀλλά et *dicit* — *Dicit: sed.* at enim, quemadmodum Catullus in priore disticho a poetae Cyrenensis sententia aliquantum deflexit, quippe quia ipsa verba Lesbiae, etsi fortasse paullulum immutata, refert, ita, quod in posteriore adseverationem mulieris ait in vento et aqua scribi oportere, alia atque Callimachus, sed item Graeca imagine usus est. quam tamen vix putamus e versu illo Sophocleo ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω (fragm. 741 N.) adsumptam esse, quae I. G. Huschkii

erat in anal. crit. p. 63 suspicio, quoniam proverbialem eam locutionem apud Alexandrinos quoque poetas occurrisse veri simile est. porro non dubitamus quin Catullus in phaselo suo argumentum ex eodem quasi horreo petitum ad propositum traduxerit. extat enim in anthologia Palatina IX 131 ignoti auctoris epigramma quo navis pristinam condicionem suam sortemque narrans inducitur. quod etsi fieri potest ut aetate multo inferiore scriptum sit, at posteriorum temporum epigrammatarios Graecos tantum non omnes Alexandrinorum poetarum vestigiis ingressos esse constat. atque est sane Catulliano carmini haud dissimile conpositione illud de nautilo epigramma Callimachi VI Schn. verum enim vero in levioribus istis poematiis, quae maximam partem ad proprias res Catulli pertinent, imitatio Alexandrina, ut par est, saepius singulis sententiis variisque figuris et verbis quam universis argumentis aut tota conpositionis ratione cernitur. atque hoc quidem imitationis genus omnino late patet nec ab ulla poesis Catullianae parte alienum est. sed pro horum prolegomenon angustiis in adferendis paucis exemplis insignioribus nobis adquiescendum esse sentimus. sic in pulcherrimo carmine V, quo poeta Lesbiam ad amorem fruendum adhortatur, cum dicit 'soles occidere et redire possunt: Nobis, cum semel occidit brevis lux, Nox est perpetua una dormienda', generalem sententiam, quae naturae rerum et humanae vitae diversitate continetur, videtur ab eo qui carmen in Bionis mortem conscripsit (v. 101—106) sive ab antiquiore aliquo poeta quem ille hac in parte secutus erat mutuatus esse; sed in postremis verbis magis etiam expressit Asclepiadis illud *μετά τοι χρόνον οὐκέτι πουλύν, Σχέτλιε, τὴν μακρὰν νύκτ' ἀναπαυσόμεθα* (anth. Pal. XII 50), ubi item noctis notio pro somni posita est. deinde c. III 12 cum Catullus mortuum passerem illuc ire queritur 'unde negant redire quemquam', haud dubie ad Alexandrinos potissimum poetas respexit, qui saepius eam sententiam efferunt (conf. in primis Theocr. XVII 120 et Philet. fragm. 4 Schneidew.), inque eiusdem poematii versu 14 quod Orci tenebras omnia bella devorare ait, probabiliter Bionis illud I 55 *τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταρρεῖ* de Proserpina dictum ei obversatum est. hactenus de sententiis. iam ad figuras orationis transituri primum ephymniorum sive versuum intercalarium usum adferimus. nam in epyllii de nuptiis Pelei et Thetidis ea parte quae carmen Parcarum continet quod Catullus versum hunc 'currite ducentes subtegmina, currite, fusi' duodeciens vel tredeciens repetiit, dubium esse non potest quin exemplum poetarum bucolicorum secutus sit. atque convenit Catulliano carmini cum primo Theocriti idyllio etiam in eo quod strophae versu intercalari distinctae

nec pari sunt longitudine et certa responsione carent. item in duobus hymenaeis versus intercalares locum habent, sed in hoc quidem genere ephymnia ab antiquissimis temporibus videntur usitata fuisse. deinde in elegia ad Allium tres versus continui, quibus poeta de fratre morte amisso queritur, ad verbum iterati leguntur (22—24 et 94—96). quod carmen cum ad exemplar elegiarum Alexandrinarum conpositum sit, vix errabimus, si istam quoque figuram inde petitam esse suspicamur. denique in iambis et hendecasyllabis Catullus haud raro simile artificium hoc adhibuit ut aut carmina eisdem quibus incohasset versibus clauderet, qualia sunt XVI XXXVI LII LVII, aut mediis in carminibus, ubi aptum videretur, singulos vel etiam binos versus modo integros modo paullulum mutatos iterum poneret, ut in VIII XXIX XLII aliisque. verum hae quidem repetitiones cum longe maximam partem augendae sint inrisioni aut indignationi exprimendae multumque roboris acerbitatisque orationi addant, magis videntur ad veterum iambographorum quam poetarum Alexandrinorum imitationem revocandae esse. conf. Semonides v. 96 et 115 Bergk. vix enim probabile est talia adamasse Callimachum, qui iambum faceret '*οὐ μάχην ἀείδοντα τὴν Βουπάλειον.*' contra eius usum figurae quae in verborum singulorum redintegratione rhetorica consistit non dubitamus ab Alexandrinorum poetarum aemulatione repetere, qui hoc orationis ornamentum in deliciis habuerunt, estque apud Catullum in primis frequens in eis poematis quae omnino ex arte illorum apta esse vidimus. ut autem varia huius figurae genera discernamus, maxime amat poeta Veronensis ultimum aut paene ultimum vocabulum unius versus initio proximi cum pondere repetere, qualia sunt c. LXIII 9 *leve typanum, Typanum tuum, Cybebe*, LXIV 62 *prospicit euhoe, Prospicit*, 286 *viridantia Tempe, Tempe, quae silvae cingunt.* conf. praeterea LVIII 2. LXI 9. LXII 62. LXIII 60. LXIV 27. 133. 260. 322. 404. LXVI 76. quibus ab exemplis non ita multum differunt quae sunt in c. LXII 22, LXVI 83, LXXVII 2 et 5. praeiverunt hoc in genere Callimachus hymn. I 92. IV 119. 151. V 2. 41. VI 35, Apollonius Rhod. I 957. III 1094. IV 264. 765, Theocritus IX 2, Moschus I 14. non minus probatur Catullo epanaphora, cuius cum alibi satis multa exempla extant, tum plurima insunt in epyllio de Peleo et Thetide. quae omnia enumerare supervacaneum est. nec opus esse ducimus notissimum eiusdem figurae studium Callimachi et bucolicorum poetarum exemplis confirmare. paullo rarius id epanalepseos genus est quo idem vocabulum in eodem versu aut bis deinceps ponitur aut brevi spatio interiecto repetitur, ut c. LXIV 24 *vos ego saepe meo vos carmine conpellabo*, ibid. 195 *huc*

huc adventate, LXVIII 21 *tu mea tu moriens fregisti commoda*, quibus cum locis conferri iubemus Callimachi hymn. IV 204. 214. VI 17. 64, Theocriti c. XVIII 50—52, Bionis XVIII 1, Moschi I 22. haec habuimus quae de iteratis et versibus et verbis diceremus. e ceteris figuris satis esto metonymiam illam adferre qua Amphitrites et Tethyos nomina pro mari posita sunt in c. LXIV 11, LXVI 70, LXXXVIII 5, quem usum iam Hauptius opusc. II, p. 74 s. recte ad Alexandrinorum poetarum exemplum rettulit. ad numeros quod attinet, praeter spondiazontum captationem iam supra explicatam hoc quoque post Godofredi Hermanni in Orphic. p. 692 ss. observationes confidenter ab Alexandrinae artis studio repeti potest quod Catullus in versu hexametro incisionem post quartum trochaeum cum omnino rarissime admisit, tum in epyllio de Pelei nuptiis et in altero hymenaeo plane declinavit. conf. Hauptius l. c. p. 78 et Baumannus l. c. p. XV (qui quinque omnino huius caesurae exempla e Catullo attulit, sed pro c. LXXXIV 9 corrigendum est LXXXIV 5).

Etsi autem Catullus scholae ex qua prodiit placitis convenienter maxime Alexandrinos duces est secutus, tamen eum non putandum est antiquos poetas Graecos omnino neglexisse. et Homericorum quidem studiorum vestigia in eis ipsis carminibus inveniuntur quae ceteroqui Alexandrinum colorem habent, cuius modi non nulla Hauptius et Schulzius locis supra p. LXX laudatis attulerunt. conf. etiam quod p. LXXI de Pasithea in Attine commemorata diximus. e lyricis vero poetis Catullus neminem videtur pluris fecisse quam Sappho, cuius admirationem eo quoque declaravit quod Clodiae ab illius patria nomen indidit Lesbiae. est autem primus Romanorum qui stropham quae a Sappho adpellationem traxit adhibuit in c. XI et LI, eiusdemque aemulatione eum in c. XXX versibus asclepiadeis maioribus ita esse usum ut binos in stropham coniungeret cum plerisque recentiorum persuasum habemus. conf. Hephaest. p. 35. 60. 65 Westph. et Lachmann. opusc. II, p. 94 s. sed non in re metrica sola continetur musae Sapphicae imitatio. nam carminis LI tres strophae priores e celeberrima Lesbiae poetriae oda (fr. 2 B.) expressae sunt. neque vero dubitamus eis adsentiri qui etiam c. LXII in Sapphus imitatione positum esse censent. nam Graecum poema exemplo fuisse huic hymenaeo manifestum est, cumque Sappho in epithalamiorum genere maxime floruerit, Catullum autem eius studiosum fuisse certum sit, quid per se ista coniectura probabilius? sed confirmant eam ipsae, quamvis paucae sint, carminum nuptialium Sapphus reliquiae. nam quod apud Catullum v. 20 s. Hesperus a puellarum choro crudelitatis incusatur, qui natam possit conplexu matris avellere, simillima sen-

tentia in Sapphus fragmento 95 reperitur, si quidem recte hic, ut putamus, Bergkius in editione quarta scripsit *Fέσπερε, πάντα φέρων, ὅσα φαίνολις ἐσκέδασ' αὔως, — — — φέρεις ἄπυ ματέρι παῖδα.* deinde, quemadmodum Latinus poeta v. 26 iuvenes facit exclamantes 'Hespere, qui caelo lucet iucundior ignis?,' sic Aeolica poetria Hesperum vocavit siderum omnium pulcherrimum (fr. 133). tum conparationes illae in v. 39—44 carminis Catulliani haud parvam habent cum Sapphus fragmentis 93 et 94 similitudinem. nec inepte illa quae v. 27 s. et 61 s. dicuntur cum verbis *Δώσομεν, ἦσι πάτηρ* (fr. 97) conponemus. denique Lesbiae poetriae epithalamia aut, ut cautius loquamur, partem eorum carmina amoebaea fuisse e non nullis fragmentis confidenter licet colligere. veluti petulantissima illa de custode thalami fr. 98 non possunt recte intellegi, nisi in carmine ex quo hi versus delibati sunt chorum puellarum cum puerorum choro certavisse sumimus, idque subolebat Demetrio *περὶ ἑρμην.* p. 299 Sp. et in fragm. 95 si Hesperus matri dicitur filiam eripere, quis negabit hanc esse querellam puellarum, ad quam pueri praedicando eodem sidere responderint? omnino autem maxime actuosa fuisse Sapphus epithalamia colloquium illud demonstrat inter sponsam et virginitatem institutum in fr. 109. itaque pro explorato habendum est Catullum carminis LXII et formam et argumentum a Sappho mutuatum esse. videtur autem ita rem instituisse ut modo religiosius Graecum exemplar redderet, modo suo magis consilio uteretur. sic quod Hesperum a iuvenibus virginibusque super Olympo et Oeta montibus conspici finxit, hoc eum ut hominem Romanum non facturum fuisse arbitramur, nisi idem apud Sappho repperisset. sed non per totum carmen Catullum anxie vestigiis eius ingressum esse ipsae illae inter utrumque similitudines quas supra significavimus satis ostendunt: continentur enim plerumque sententiis universis nec ad singula omnia pertinent. neque vero pulchra illa virginis cum vite conparatio quae inde a v. 49 incipit potest accurate ex Sappho expressa esse. quamquam enim non recte Leutschius (Gött. gel. Anz. 1855, p. 1992) Longi II 1 testimonio confisus in Sapphus patria vites arboribus adplicatas esse omnino negavit — quae opinio refellitur verbo *ἀμαμάξυδες* ab illa usurpato (fr. 150) —, tamen verum est apud Lesbios Asiaeque minoris incolas solitum morem hunc fuisse ut vites nullo adminiculo humi repere sinerent (qui mos nunc in omni fere Graecia obtinetur). conf. praeter Longum l. c. Varro rer. rust. I 8 5K. V. Hehnius in libro qui inscribitur 'Kulturpflanzen und Hausthiere' p. 66 s. et 469 ed. quartae. itaque, ut imago vitis cum ulmo coniunctae non abhorret a carmine Sapphico, sic ea quae in nudo arvo nascitur

vitis a Lesbia poetria dici non potuit numquam mitem uvam educare aut nullis agricolis et iuvencis coli. at Catullo haec conveniunt Italicae vitium culturae memori. porro illud quoque probabile est novasse Catullum quod v. 34 s. de Hespero eodemque Eoo legimus. etsi enim disceptabatur a veteribus quis primus animadvertisset dixissetve Hesperum et Luciferum eundem esse, nemo tamen neque Sappho neque quemquam hac antiquiorem eius rei auctorem laudavit, sed aut Pythagoram aut Parmenidem aut Ibycum nominant (v. Stob. anthol. I, p. 207 Wachsm. Diog. Laert. VIII 1 14. IX 3 23. Ibyc. fr. 42. 43 B.). quamquam, si quis cum Wilamowitzio Herm. XVIII, p. 417 veri similius ducat Sappho in hac grammaticorum quaestione casu omissam esse, non facile poterit redargui. etiam in c. LXI, quod ad Manlii Torquati cum Vinia Aurunculeia nuptias pertinet, nescio an poeta singulas quasdam sententias ex Lesbiae vatis epithalamiis hauserit. quod ut credam in primis non nulli loci faciunt Himerii sophistae in declamatione prima. quae tamen res cum longiorem disputationem requirat, verbo suspicionem meam significasse satis habeo. neque in aliis Catulli carminibus Sapphicae imitationis vestigia videntur deesse. sic cum c. LXVIII 18 et LXIV 95 apte conposuerunt interpretes illud *γλυκύπικρον ὄρπετον* (Sapph. fr. 40. conf. 125). sententiae in carmine LXXIII extremo elatae magna est similitudo cum Sapphus verbis *ὄττινας γὰρ Εὖ θέω, κῆνοί με μάλιστα σίννονΤαι* (fr. 12), quae nunc animadvertimus iam ab Ellisio adscita esse. indidem peculiare quoddam conparationis genus videri possit repetendum esse. quemadmodum enim Sappho dixit *ἄνδρος μεγάλω πόλυ μεῖζων* (fr. 91) et *χρύσω χρυσοτέρα* (fr. 122. 123), sic dixit Catullus *saviolum dulci dulcius ambrosia* (XCIX 2) et id genus alia. verum haec infra adparebit propius etiam ad morem Plautinum accedere. praeter Sappho de antiquioribus Graecorum poetis lyricis etiam Anacreontem exemplo fuisse Catullo strophae carminum XXXIV et LXI videntur probare ex versibus glyconeis conpositae. et in priore quidem carmine quaterni versus, quorum extremus est catalecticus, per synaphiam nexi sunt, ut apud Anacreontem fr. 4. 6. 8. 14 B. in altero autem carmine quini versus, quorum quintus est catalecticus, in strophas ita coniuncti sunt ut unaquaeque stropha duplici systemate trium et duorum versuum constet. nam inter tertium et quartum glyconeum synaphia saepius interrupta est admissis hiatu syllabaque ancipiti. id perspectum habebat Lachmannus, cum Catulli carmina ederet (conf. eius opusc. II 88), neque Hauptius non ad eandem sententiam olim abiectam postea rediit (conf. opusc. I 19 cum adnotat. editoris). nec errasse putamus Lachmannum, cum hanc

conpositionis rationem ab imitatione Teii poetae repeteret. quem eiusdem metri strophas fecisse binis systematis diversae magnitudinis constantes carmen in Dianam (fr. 1) ostendit, nisi quod ibi prioris quoque systematis finis catalexi notatus est. denique in carminibus maledicis Catullus manifesto veteres iambographos sibi proposuit imitandos, suntque in illis non nulla quae vere Archilochi animos exprimere dicas, in primis carmina XXIX et LII. atque in hoc quidem poeta etiam trimetros qui proprie Archilochii dicuntur adhibuit, cum in illo constanter iambis usus sit spondeo non admisso nisi semel initio versus 3 in nomine proprio aliter versui non apto. eadem severitas in phaselo, carmine longe diversi generis, obtinetur, nec dubitari potest quin hac quidem in re Alexandrinum Catullus exemplum secutus sit. sed Archilochi memoriam interdum etiam singulae Veronensis poetae sententiae nobis adferunt. sic carminis LVI versiculi primi 'O rem ridiculam, Cato, et iocosam Dignamque auribus et tuo cachinno' simillimi sunt istis *Ἐρασμονίδη Χαρίλαε, χρῆμά τοι γελοῖον Ἐρέω, πολὺ φίλταθ' ἑταίρων, τέρψεαι δ' ἀκούων* (fr. 79 B.), itemque carminis XL pars prior conparationem habet cum iambis notissimis contra Lycamben scriptis (fr. 94. conf. etiam 95). his similitudinibus iam a Scaligero et Westphalio indicatis tertiam addimus a nemine adhuc animadversam. in veteribus scholiis ad Lycophr. Alex. v. 771, p. 140 Kink. haece legimus, *οἱ δὲ μύκλους φασὶ τοὺς κατωφερεῖς εἰς γυναῖκας· εἴρηται δὲ ἀπὸ ἑνὸς Μύκλου αὐλητοῦ κωμῳδηθέντος ὑπὸ Ἀρχιλόχου ἐπὶ μαχλότητι*, unde paene ad verbum transcripsit Tzetza. quae non possumus nisi sic intellegere ut Archilochum tibicini cuidam, homini salaci, ignominiosum nomen *Μύκλος*, derivatum id a *μύκης*, quod inter alia significat *τὸ αἰδοῖον τοῦ ἀνθρώπου* (Choerobosc. I, p. 139 Gaisf.) eaque vi ab ipso Archilocho usurpatum est (fr. 47), per ludibrium indidisse statuamus, perspexitque id iam Hartungius in lyr. Graec. edit. V, p. 92. quod cum ita sit, nonne probabilis est suspicio Parii poetae exemplo factum esse ut Catullus Mamurrae inimico infame Mentulae nomen inponeret? Hipponactis vero studium prodere videntur tetrametri iambici catalectici in c. XXV et trimetri claudi in octo carminibus (VIII. XXII. XXXI. XXXVII. XXXIX. XLIV. LIX. LX) a Catullo adhibiti. quamquam satis lubricum esse fatemur ex metris solis talia concludere, quoniam pleraque eorum etiam apud Alexandrinos poetas in usu fuerunt. atque in eo certe Hipponacte severior est Catullus quod in senarii claudi sedem paenultimam non admisit nisi iambum, qua in re haud dubie Callimachum aemulatus est, cuius qui nobis servati sunt scazontes eandem diligentiam ostendunt — non enim audiendus O. Schneiderus, qui

spondeum aliquot locis prave coniectando a semet inlatum defensum ivit —, cum Theocritus in epigr. XXI veterum iambographorum licentiam retinere maluerit. sed in eo Hipponacti magis quam Callimacho se adplicavit poeta Veronensis quod choliambis naturae huius metri convenienter fere non est usus nisi ubi male dicendi aut cavillandi consilium esset. qua ab norma unum recedit c. XXXI, nam in c. VIII saltem levis quaedam ludificatio subest. restat ut hic quoque versuum totorum in iambis hendecasyllabisque repetitorum artificium commemoremus, quod iam supra non inprobabiliter ad veterum iambographorum exemplum revocasse nobis videmur.

Graecis studiis Catulli in uno conspectu positis par est de indole eius atque ingenio exponi. qua tamen in disputatione licet nobis brevioribus esse, quoniam satis plene supra vitam poetae ex ipsis carminibus refictam inlustravimus. quod ut fieri omnino potuerit, eius rei causa tota in natura Catulli sita est. etenim hic poeta, si pauca carmina maiora et doctiora mittimus, nihil fere versibus mandavit nisi quod ipse in vita vidit aut expertus est, variosque motus suos sic expressit ut certissimam animi sui imaginem tamquam tabulam in claro lumine conlocatam posteris reliquerit. atque in hac affectuum veritate gravitateque summa eius posita est virtus poetica. cui finitima est mira quaedam simplicitas, quae cum carere arte videatur, summae artis signum est. Catullus enim omne declamatorium respuens cogitata mentis sine fuco atque verbis maxime cuiusque rei propriis effert nec doctrinam admittit, si ab eis carminibus recedimus in quibus Alexandrinis vestigiis accuratius ingreditur aut per ludum iocumque reconditiora admiscet, ut in c. LV. nam festivitate quoque et lepore insignis est. his virtutibus efficitur ut carmina eius assidue nos teneant. quippe talis poesis nulli non saeculo convenit. ut autem quae generaliter diximus paucis exemplis confirmemus, quis itineris faciendi cupiditatem verius verbis inlustrare possit quam Catullus, cum ait 'iam mens praetrepidans avet vagari, Iam laeti studio pedes vigescunt'? aut quis voluptatem illam quam e longa peregrinatione domum modo reversi percipere solemus rectius commodiusque eloqui quam versibus hisce 'o quid solutis est beatius curis, Cum mens onus reponit, ac peregrino Labore fessi venimus larem ad nostrum Desideratoque adquiescimus lecto'? quae quidem verba mihi, cum ante aliquot annos e Graecia redissem, primis diebus usque obversata sunt utpote proprio sensui plane respondentia. hac ratione Catullus inter Latinos poetas sibi parem habet neminem. quod quam vere dictum sit optime ex eis carminibus cognoscitur quae propter argumentorum similitudinem cum aliorum carmini-

bus conparationem habent, aptissimeque Hauptius in praelectionibus, ut Belgerus p. 239 libri sui narrat, carmen IX Catulli, quo Veranii amici in Italiam reditus celebratur, cum Horatii ad Pomponium Numidam et Pompeium carminibus (I 36. II 7) conponere solebat, quo exemplo quid discriminis inter utrumque poetam interesset demonstraret. nimirum Veronensis poeta pectoris sui laetitiam nude sincereque exprimit atque simul paucissimis verbis suavissimam felicitatis domesticae imaginem proponit, cum dicit 'venistine domum ad tuos penates Fratresque unanimos anumque matrem?', suntque versiculi eius ita conparati ut uno impetu in chartam coniecti videantur, cum Venusinus contra in utroque poemate sententias longius repetit exornatque artificiosius et re vera 'apis Matinae More modoque' ista carmina finxisse se prodit. conf. etiam Munro l. c. p. 236 ss., ubi alia Catulliana et Horatiana apte inter se conparata et recte aestimata reperies. hanc sensuum veritatem ubivis ostendit poeta, sive amicos colit sive in adversarios invehitur sive fratris mortem luget sive tristia laetaque amoris canit. quod autem in c. LXXXV infidelitatem Lesbiae cogitans dixit 'odi et amo', eo inscius duo illa conplexus est quibus per omnem vitam suam commovebatur maxime. erat enim iuvenis ardens ac fervidus, sed idem irritabilis et in iram praeceps. amor eius erga Lesbiam penitus haerens non est nisi post longas contentiones animi gravissimosque dolores extinctus. in primo ardore se ipse v e s a n u m vocavit (c. VII 10. conf. etiam C 7). singulare autem maximeque memorabile in antiquo poeta id habendum quod plane sibi conscius est discriminis inter amorem mulieris ad corpus solum pertinentem et altiorem illum qui a caritate pietateque nihil aut paullum differt, qualem suam olim in Clodiam voluntatem bis verbo b e n e v e l l e designavit (c. LXXII 8 et LXXV 7). qua de re subtiliter iudicavit Westphalius p. 115 s. conf. etiam quae nos supra p. XXIII diximus. iam carmina ad istam mulierem spectantia cum longe pleraque excellant pulchritudine, tum illa maxime perfringunt mentem in quibus poeta de infidelitate eius conqueritur animique sui in contrarios affectus distracti cruciatus explicat. palmam vero prae omnibus fert carmen LXXVI plane admirabile, quod etiam si unicum nobis servatum esset monumentum Catulli, non dubitaremus eum inter principes poesis lyricae antistites numerare. quodsi quis hanc amoris altitudinem, hanc miseriam inde obortam, hanc divini auxilii inplorationem considerat, facere non poterit, licet severus sit morum magister, quin clementius de universa eius foederis condicione iudicet. non minor quam amoris erat odii poetae ardor, neque veritus est eos a quibus sibi videbatur provocatus esse aut quos castiga-

tione dignos existimabat contumeliosissime tractare. cuius acerbitatem in iambis Quintilianus X 1 96 ita commemoravit ut hanc ei praecipuam huius poetae laudem visam esse adpareat. ceterum in consectandis inimicis Catullum male dicendi ulciscendique cupiditate abreptum rerum obiectarum fidem non religiose admodum curavisse unusquisque facile concedet. verum hoc ex antiquitatis moribus iudicandum. nec aliter obscena quae apud Catullum leguntur aestimabimus. qua tamen in re monendum est poetam Veronensem, ut non raro verbis rebusque spurcum, ita ab Ovidiana ista pictura libidinis plane alienum esse.

Haec de indole Catulli disputata etsi a minoribus potissimum carminibus sunt ducta, quibus ille primariam sibi laudem meruit, tamen universe etiam in maiora et doctiora cadunt, neque recte vulgo poetam prorsus alium in hoc, alium prorsus in illo genere esse statuunt. certe is in alienis affectibus describendis vix inferior est quam in suis, ut Ariadnae et Attinis querellae ostendunt, idemque in elegia ad Allium scripta, quamquam consulto doctas Graecorum fabulas admiscuit, nihilo minus egregiam suarum rerum imaginem repraesentavit. neque vero haec Alexandrinae poesis imitatio maioribus istis carminibus sese continet, sed, ut supra vidimus, patet latius. at plus omnino quam Alexandrinis Catullus suo ingenio debebat, eratque natura Archilocho et Aeolicis vatibus propinquior. quodsi poematia lyrica cum iambis epigrammatisque ceteris eius carminibus in universum perfectiora sunt iudicanda, id hanc praecipue causam habet quod illa genera Catullianae indoli multo magis conveniebant. neque facile hic in ea vitia incurrere potuit poeta quae Alexandrinae artis propria in maioribus carminibus non semper declinavit, partium dico inaequalitatem nimiumque degressionum ambitum, quibus vitiis in primis epyllion de Pelei et Thetidis nuptiis laborat, opus ceteroqui omni paene numero eximium.

Virtutibus poetae quas exposui plane congruit sermo eius: est enim simplex, perspicuus, distinctus, excellens suavitate neque vero robore et nervis destitutus. quando autem Catullus ea vixit aetate qua ab rudi arte veterum poetarum transiri coeptum est ad limatam elegantiam eorum qui Augusti tempore floruerunt, consentaneum est in oratione eius, pariter atque in numeris, inter plurima novorum studiorum signa etiam varias pristinae consuetudinis reliquias inveniri. quae res etsi a nemine adhuc plene tractata est, tamen nuper conplures operam studiumque in inlustrandam eam contulerunt, Fridericus Heussnerus in dissertatione Marburgensi quae inscripta est 'observationes grammaticae in Catulli Ver. librum' prodiitque a. 1869, Adolphus Reeckius in dissert. Vratislaviensi 'de Catullianorum carminum

re grammatica et metrica' (a. 1872), Franciscus Teufelius in dissert. Friburgensi 'de Catulli Tibulli Propertii vocibus singularibus' (a. 1872), Gustavus Overholthusius in dissert. Gottingensi cui titulus est 'syntaxis Catullianae capita duo' (a. 1875), Benedictus Zieglerus in quaestionibus selectis de Catulli sermone (Friburgi Br. a. 1879), quibus adiungimus duas dissertationes Halenses a. 1881 editas, alteram C. Schneemanni 'de verborum cum praepositionibus compositorum apud Catullum Tibullum Propertium structura', alteram E. Duderstadtii 'de particularum usu apud Catullum'. conf. etiam I. Suessius in actorum semin. philol. Erlangensis vol. I, p. 25 s. et 32 ss. nam Conradi Hupii de genere dicendi Catulli dissertatio Monasteriensis a. 1871 publicata nullius est pretii, vixque melius iudicium fieri potest de Augusti Couat in libro 'Étude sur Catulle' (Parisiis 1875), p. 285 ss. observationibus in ea re versantibus. iam cum singula quae in sermone Catulliano notabiliora videntur maximeque antiquitatis vestigia in indice grammatico huic editioni adnexo per litterarum ordinem indicatis carminum versuumque numeris conposuerim, hoc loco quae ad universam rem recte aestimandam pertinent quam brevissime fieri potest conplecti volo. igitur Catullus asperitate prisci sermonis abiecta tamen aliquot formas eius retinuit partim ut certis quibusdam metrorum generibus aut sono quorundam carminum praecipue aptas, partim cottidiano usu etiam tum tritas et ab insequentis demum temporis severitate sive omnino repudiatas sive parcissime admissas. eius modi sunt, ut a verbis ordiamur, infinitivi *citarier conpararier nitier conponier*, imperativus *face* (cui contrarius est *inger* ad analogiam formae quae est *fac* reliquarumque dictus), imperfecta *audibant custodibant scibant*, perfecta *tetuli deposivit* atque per syncopen imminuta *duxti luxti misti subrepsti* cum infinitivo *promisse* et futuro secundo *recepso*, quibus subicimus paullo diversa quidem ratione, sed itidem vetusta *tristi* et *siris* et *iuerint*, deinde *postast* pro *positast*, porro *tardet* pro *tardat* (etsi illud hodie non invenitur alibi), *lavit* pro *lavat*, *poteretur* pro *potiretur*, *potis est potis sit* pro *potest possit* et *pote* non addito verbo 'esse' pro *potest*. ad nomina substantiva quod attinet, praeter rectum casum *labos* ablativos *capiti classi rati ungui* adferimus. pronominum formae notatu dignae *quoi* dativus, *quis* dativus et ablativus, *qui* ablativus, *quicum* pro *quocum* et *quacum*, *alis alid* nominativi, *uni* genetivus, *une* vocativus. adverbiorum *puriter miseriter penite rusum*. verum non solum formae verborum, sed etiam verba vetusti sermonis propria reperiuntur, qualia sunt *antistare apisci discupere senere sustollere* cum frequentativis *auctare circumcursare quaeritare*, porro *flexanimus* et *postilla*. in eodemque numero maximam

partem putamus eorum vocabulorum ducendam esse quae hodie apud Catullum solum leguntur aut inferiore demum litterarum Latinarum aetate rursus conparent. quorum non nulla quidem probabile est ab ipso novata esse, in primis *falsiparens*, *lasarpicifer* et similia quaedam cum Graeco nomine *Nereine*. sed alia veterem tragoediam redolent, ex. gr. *iustificus amplifice fluentisonus nemorivagus*. plura etiam adparet comoediae deberi aut sermoni familiari vel plebeio ipsius temporis Catulliani a comicorum sermone vix multum differenti, velut *caprimulgus sepulcretum argutatio tepefactare suppernatus* atque obscena ista *trusare perdepsere confutuere ecfutuere* (quod verbum etiam in disticho reperitur a militibus Caesarianis per Gallicum triumphum iactato apud Sueton. Iul. 51) *expatrare fututio defututus diffututus peditum* et id genus reliqua. neque ab hoc numero aliena sunt Graeca quaedam vocabula quippe haud dubie in communi tum sermone trita, ut *mnemosynum epistolium catagraphus mimice* (cui adverbio similia satis multa Plautus habet, conf. Lorenzius ad mil. glor. 212). memorabile autem est unum vocabulum poetam e patria provincia adduxisse, nam *ploxenum* eum circa Padum invenisse testatur Quintilianus I 5 8. cui nomini fortasse addendum *basium* (cum inde deductis *basiare* et *basiatio*), quod non invenitur ante Catullum neque Latinam stirpem habet, sed paullatim in sermone vulgari adeo evaluit ut in omnes linguas ex Latina ortas transiret, qua de re disputavit Hauptius opusc. II, p. 109 s. conf. idem apud Belgerum p. 244. porro familiaris et plebeii sermonis proprium esse usum nominum deminutivorum inter omnes constat. quibus poeta Veronensis et substantivis et adiectivis quam maxime delectatus est, habetque singularia non pauca, veluti *femella lecticulus saviolum scortillum aridulus eruditulus lassulus*. vid. index grammaticus s. v. 'deminutiva'. adparet autem quam aptae tales voces eis potissimum fuerint carminibus in quibus Catullus proprios animi affectus expressit. etenim non solum amor et inclinatio voluntatis et hilaritas similesque motus, sed etiam qui his sunt contrarii deminutivis significari possunt, efficaciterque admodum in carminibus XXV et LVII ea cumulavit poeta ad perstringendam Thalli et Caesaris Mamurraeque mollitiem. vulgi consuetudinem Catullus etiam in eo retinuit quod *pugillaria* neutraliter dixit, quam ob rem teste Charisio p. 97 K., cuius verba Hauptius opusc. II, p. 68 ss. inlustravit, ab Asinio Pollione in commentario reprehensus est. iam vero ad syntaxin ut transeamus, vix pauciora ibi prisci et plebeii sermonis vestigia deprehendimus. commemoramus nomina abstracta saepe de hominibus adhibita, quae magnam partem comoediae memoriam nobis adferunt, velut *iocus stupor lutum*

lupanar et addito genetivo *venenum vitae*, *pestis amicitiae*, *opprobria Romuli Remique*, alia, frequentem usum genetivi partitivi ex neutris pronominum vel adiectivorum quantitatis apti, verba *mutare* et *offirmare* intransitive dicta, *cernere* cum infinitivo pro 'decernere', constructionem 'monendum te est mihi', indicativum in interrogatione obliqua admissum, vocabulum quod est *nullus* itemque *nec* et *nihil* negandi gravius causa pro *non* posita. deinde, cum superiores scriptores Latini verba cum praepositionibus conposita cum praepositionibus, posteriores cum casibus solis coniungere in universum praeferant, memorabile est Catullo in ea re magis cum illis quam cum his convenire: certe aliquanto saepius praepositionem adhibuit quam Tibullus et Propertius (conf. Schneemannus l. c. p. 48). tum quod bina vocabula, plerumque significatione similia, ἀσυνδέτως copulare amat, ut *iocose lepide*, *diversae variae viae*, *perfer obdura*, id ei cum Plauto et omnino cum veteribus commune est (conf. Brixius ad Trinumm. 243 et 302, ad mil. glor. 663. Lachmannus ad Lucr. II 118). nec dubitari potest quin tales locutiones quales sunt *non assis facere*, *non facere pili* similesque ex vulgi sermone adsumptae sint, sicut eae quae adverbiorum cum verbo substantivo coniunctione fiunt, ex. gr. *est pulcre tibi*, *non mihi tam fuit maligne*, atque execrandi formulae in c. III 13, XIV 6, XXVIII 14 s. postremo ab eiusdem sermonis studio repetendum quod Catullus valde delectatur structura paratactica, cuius multa exempla congessit Zieglerus l. c. p. 32 ss. lepidissime autem hoc dicendi genere c. X 30 usus est poeta ad exprimendam subitam animi consternationem qua se importunitate puellae a Varo amatae adfectum esse narrat. hactenus de prisci moris in syntaxi Catulliana vestigiis. relicum est ut ornamenta quaedam orationis persequamur antiquiori latinitati praecipue probata, quibus retinendis Catullus sermoni suo colorem vere popularem conciliavit. ac primum quidem dicendum de eo quod neoterico nomine *adlitterationem* vocare consuevimus. de cuius apud Romanos usu ac finibus copiose et subtiliter disseruit A. F. Naekius musei Rhenani t. III (a. 1829), p. 324 ss. vid. praeterea in primis Woelfflinus in actis acad. Bavar. a. 1881, vol. II, p. 1 ss., quem tamen de re universa minus recte illo iudicasse censemus. huius igitur adlitterationis permulta in omni genere poesis Catullianae exempla extant, quamquam profecto non tot sunt quot esse sibi persuasit Carolus Ziwsa in priore parte commentationis quae inscribitur 'die eurhythmische Technik des Catullus' Vindobonae a. 1879 publicata, qui quid esset adlitteratio parum curans in statuenda ea ridiculum in modum luxuriavit. neque vero quamvis adlitterationem putandum est consulto et cogitate adscitam esse.

immo Naekio adsentiendum dicenti tam inveteratum fuisse apud Romanos adlitterationis amorem tamque adsueta ei omnium ora et aures ut scribentibus multa id genus sponte sese obtulerint ambiguumque sit saepenumero quid a non animadvertentibus admissum, quid ex usu communi receptum, quid propria arte factum sit. iam eius adlitterationis quae in verbis sibi respondentibus fit, qua vis atque gravitas sententiae additur, haece exempla repperimus: *superbus et superfluens*, *mundior et melior*, *miserum malique fati*, *boni beatique*, *bene ac beate*, *mimice ac moleste*, *satis superque* sive *satis et super*, *leniter et leviter*, *lutum lupanar*, *pestem perniciemque*, *vivat valeatque*, *unum atque unicum*, *ater an albus*. quorum pleraque haud dubie populi usu pridem sancta erant. et notatu dignum est hoc adlitterationis genus minorum carminum proprium esse, quibus conveniunt dictionum formulae. frequentius id genus quod certa lege carens in binis vel pluribus vocabulis continuis locum habet. et interdum quidem in hoc quoque genere manifestum est adlitterationis studium. sic in c. XXV cum poeta, ut vidimus, nomina deminutiva cumulaverit, quo effeminatam Thalli habitudinem perstringeret, non dubitabimus quin v. 10 in verbis *laneum latusculum manusque mollicellas* adlitterationem quoque duplicem dedita opera idem ad propositum adhibuerit. c. LVI 3 rem ridiculam narraturus in nominibus *Cato*, *Catullum* iuxta positis consulto ludit. egregia soni imitatio efficitur adlitteratione per tria vocabula continuata c. LXIV 262 *aut tereti tenuis tinnitus aere ciebant*. nec in eiusdem epyllii v. 28 illud *tene Thetis tenuit* excidisse poetae putaverim, praesertim cum sit in concitata interrogatione accedatque epanaphorae artificium. conf. etiam ibid. v. 101. at v. 53 *cedentem celeri cum classe* nullum poetae consilium adgnoscendum existimamus. neque magis c. XVI 13 *male me marem*, XXXV 7 *si sapiet*, *viam vorabit*, XLII 5 *pugillaria*, *si pati potestis*, XLV 5 *quantum qui pote plurimum perire*. haec igitur et similia multa non quod per artem quaesita, sed quod, cum ultro occurrerent, non reiecta, sed accepta sunt a Catullo, magnum eius amorem adlitterationis ostendunt. finitimum huic ornamento id est quod homoeoteleuton dicimus. cuius non ita multa apud poetam Veronensem exempla inveniuntur, si ab eo quod in binis versibus continuis aut vicinis et in singulorum versuum hemistichiis fieri solet recedimus. attulimus autem non nulla, in quibus primae quoque litterae eaedem sunt, iam paullo ante, satisque habemus hic unum addere quod in primis vim habet, *vadit*, *fremit*, *refringit virgulta* de leone Cybeles dictum in c. LXIII 86. paullo latius patet figurae usus etymologicae. de cuius in lingua Latina generibus nuper cum cura disputavit Gustavus Landgrafius acto-

rum semin. philol. Erlangensis vol. II, p. 1 ss., etsi nec omnia quae huc pertinent conplexus est et aliena haud pauca temere admiscuit. etenim figurae etymologicae hoc est proprium ut vocabula eiusdem originis, sed non eadem in unam notionem coniungantur. iam apud Catullum quoque, ut apud ceteros, frequentissimum id est genus quo verbum cum quarto casu nominis substantivi copulatur, ex. gr. *basia basiare*, qua in copulatione substantivo semper adiectivum aut pronomen aliquod additur praeter c. CX 4 *facis facinus* (de quo conf. Landgrafius p. 17), nam verborum *iuncta iuga* c. LXIII 76 alia est ratio. ablativum substantivi cum verbo consociatum habes c. XIV 3 *odissem te odio Vatiniano*. praepositione adnexum est substantivum c. III 11 *it per iter tenebricosum*. duo adiectiva coniuncta sunt c. LXXIII 6 *unum atque unicum*. alia magisque singularis species invenitur c. XXIII 18 *hanc ad munditiem adde mundiorem* (scil. munditiem), quo cum exemplo in primis conparandum Plautinum illud *non lutumst lutulentius* Poenul. 158. diversum a figura etymologica id est schema quod in adiectivi conparativi cum eodem positivo copulatione consistit. quo cum Catullus peculiari modo usus sit, omnia exempla adscribam: c. XXII 14 *infaceto est infacetior rure*, XXVII 4 *ebrioso acino ebriosioris*, XCIX 2. 14 *dulci dulcius ambrosia* et *tristi tristius helleboro*, XXXIX 16 *risu inepto res ineptior nullast*, a quibus paullulum differt quod est c. LXVIII 117 *tuus altus amor barathro fuit altior illo*. sed hunc quoque dicendi morem veteri comoediae deberi viderunt Zieglerus l. c. p. 15 et Landgrafius p. 66. nam eodem plane modo Plautus *melle dulci dulcior*, *m. d. dulcius* Asin. 614. Trucul. 371, et *citis quadrigis citius* Aulul. 600. ceterum Sappho quoque similiter locutam esse supra ostendimus, adparetque inde talia in utraque lingua fuisse popularia. ut autem Catullus, cum sufficeret ad sententiam dicere 'rure est infacetior', adiectivum quod est *infacetus* nomini ex conparativo pendenti addere maluit, quo sonos sibi consonantes efficeret delectandarum aurium gratia, sic eodem ductus studio itidem veterum maximeque Plauti exemplo multa similia orationis artificia adhibuit. non loquimur hic de epanaphora aliisque id genus figuris rhetoricis, quarum frequentem usum supra vidimus ab imitatione Alexandrinae potius poesis repetendum esse. sed saepissime Catullus soni causa idem vocabulum sive eadem sive variata forma bis ponit, et plurimum quidem, quo magis feriantur aures, continuo, rarius una vel paucis vocibus interiectis, ex. gr. *purae pura puellae Savia* (LXXVII 7), *cum puero ut bello bella puella cubet* (LXXVIII 4), *omnia omnibus adnuit* (LXI 163), *bona cum bona Nubet alite virgo* (ibid. 19), *gemelle Castor et gemelle Castoris* (IV 27. conf. ibid. v. 6 s.), *ipsius*

ex ipso dempta viri gremio (LXVIII 146), a quibus ratione differt utpote singulari cum acumine dictum illud *funera Cecropiae nec funera* in c. LXIV 83. talia autem tantum abest ut necessitudinem sibi postulent grammaticam ut saepe ne eiusdem quidem enuntiati sint, veluti c. LXI 204 *quoniam palam Quod cupis cupis*, VIII 2 *quod vides perisse perditum ducas*, LXIV 55 *necdum etiam sese quae visit visere credit*. conf. praeterea c. III 13—15. LXI 143. 152 s. eodem modo cognatae voces iuxta ponuntur, ut c. XXX 12 *facti faciet tui*, LXIV 405 *omnia fanda nefanda*, LXVIII 160 *qua viva vivere dulce mihist*. denique in hunc numerum venit verborum sono persimilium, at significatione diversorum consociatio, quam proprie paronomasiam sive adgnominationem dicimus, ut c. X 23 *in collo sibi collocare*, LXIV 320 *vellentes vellera* (quod speciem habet figurae etymologicae), XCIV 2 *olera olla legit*, quae erat proverbialis locutio.

Enumeravimus potiores in sermone Catulliano vetustatis notas. quae, ut par est, non omnes in omni genere carminum promiscue inveniuntur, sed pro diversa eorum arte aliae in aliis. scilicet quae verba verborumque formae et locutiones et structurae et ornamenta priscae linguae ab elatiori dictione non abhorrere aut adeo convenire ei videbantur, ne a doctioribus quidem poematis exclusa aut in his solis admissa sunt. contra vetera quidem, sed proprie plebeia fere non conparent nisi in eis carminibus quae in rebus ad cottidianam vitam pertinentibus versantur. nam omnino haud leve orationis inter utrumque genus discrimen intercedit. quod cum ex aliis rebus tum e verborum electione perspicitur, quae Catullus argumento cuiusque carminis accommodare studuit ita ut ab hoc communia, ab illo lectiora procul haberet. veluti *basium*, vocabulum tanto opere sibi probatum in poematiis suis, cum per metrum posset etiam c. LXVIII 127 ponere, tamen ut huic elegiae parum aptum respuit, *osculum* praetulit. alia huius generis conposuit Suessius l. c. p. 25 ss., quamquam, ut solent Woelffliniani, modum non tenuit. nam quod *semper* vocabulum a carminibus I—LX abesse eiusque vice *usque* adverbium fungi ait, cum in reliquis illud solum inveniatur, quidni hoc casui vel necessitati metricae tribuamus, quando *semper* etiam epigrammatis XCII 1 et CX 1 concessum, utrumque autem adverbium, ut ipse Suessius adnotavit, ab Horatio in eodem carmine II 9, v. 1 et 4 promiscue adhibitum sit? ceterum accidit interdum inprudenti Catullo ut plebeia etiam in docta poemata admitteret. sic quod c. LXIV 277 dixit *ad se discedebant* pro *domum discedebant*, id manifesto ex vulgi consuetudine dictum est, ut extant similia plurima in Plautinis comoediis. eodem referendum ducimus *volturii* nomen in heredi-

petam translatum c. LXVIII 124 (conf. Lorenzius ad Plauti Mostell. 819 s. et in praef. mil. glor. p. 61). inveniuntur etiam non nulla in his carminibus quae sublimiori poesi parum conveniant non ut per se humilia, sed tamen ut solutae orationis propria, ex. gr. *persaepe* adverbium c. LXIV 340, *is* pronominis casus obliqui *earum* et *eam* c. LXIII 54 et LXIV 122, atque illud *quod cum ita sit*, *nolim statuas* in c. LXVIII 37, quamquam huic siccitati aliquid excusationis inde paratum est quod haec elegiae pars formam habet epistulae. notanda est porro quaedam in declinatione nominum Graecorum inconstantia. nam cum Catullus in omni genere poesis suae fere uti soleat externis terminationibus (vid. Heussnerus l. c. p. 14 ss. et Reeckius p. 15 ss.), tamen interdum Latinas praefert, vel ubi nulla mutatae rationis causa adparet. veluti *Cybeles Cybebes* dixit in c. LXIII, *Arsinoes* in LXVI, sed idem *Helenae* in LXVIII 87. quam flexionis commutationem aliquando in eodem poemate, semel praeterea in eodem adeo nomine admisit. nam in c. LXIV, v. 336 et 382 variavit inter dativos *Peleo* et *Pelei*, cum per metrum utroque loco alteram utram formam poni liceret. ibidem v. 21 et 336 Latinam formam *Thetidī*, v. 247 Graecam *Minoidĭ* adhibuit. sed hic quidem metri necessitati paruit. haec omnia et alia quaedam similia, etsi laudem poesis Catullianae profecto non imminuunt, tamen artis sunt nondum prorsus excultae indicia. quamquam, quod ad declinationem nominum Graecorum attinet, verum est ne Augusteae quidem aetatis poetas prorsus sibi constitisse. at his contigit ut certiores fines terminosque constituerent orationis poeticae atque eam aequabiliorem limatioremque redderent. quod tamen ita sunt adsecuti ut una cum eis quae vulgaria viderentur in priorum sermone etiam nativum eius robur cum simplicitate coniunctum deponerent. neque vero negari potest nimio eos fastidio popularia a se prohibuisse. certe quod usu deminutivorum, quae Catullus a nullo genere carminum suorum aliena esse voluit, plerumque abstinuerunt, id non sine incommodo poesis, in primis lyricae, factum esse recte iudicasse mihi videtur Munro l. c. p. 235.

Quemadmodum in sermone, sic etiam in numeris Catullus medius est inter antiquos poetas et eos qui Augusti tempore floruere, sed ut his tamen sit propior. vid. de re metrica eius in universum Lucianus Muellerus in praefat. editionis p. LIX ss. et I. Baumannus in programm. Landisbergensi a. 1881 edito, cuius iam supra mentionem fecimus. atque non nulla quidem versuum genera poetae Veronensis tanta cum cura sunt perpolita ut vix quicquam eis ad perfectionem desit. veniunt in hunc numerum in primis iambi et glyconei, si a carminis LXI versu

25 recedimus, in quo singulari prorsus licentia spondeus positus est pro dactylo. sed hic pherecrateus una cum tota stropha quam claudit suspectus est. conf. adnot. crit. ad v. 21—25. hendecasyllaborum quoque summa est elegantia, nec invenias quod iure displicere possit praeter carminis XXIV versum 7, cuius in finem nova sententia admodum dure incidit. nam c. XXIII 3 non eandem offensionem habet. quod autem in uno carmine LV dactylus saepius contractus est in spondeum, id quaesitum artificium esse per se intellegitur, nec errare videntur qui numerorum ita orta tarditate Catullum labores suos in conquirendo amico exhaustos quasi in aures inpingere voluisse statuunt. quamquam fatendum est sic spondeos aptius in priore parte poematis quam in posteriore explicari. ceterum miramur quod qui hanc explicationem probaverunt maluerunt in basi versus 10 de i littera in consonantem durata cogitare quam tribrachum adgnoscere. quo pede cum vehementer augeatur versus volubilitas, quidni hic contrarium artificium hoc adhibitum esse arbitremur ut impetus a poeta in puellas sibi occurrentes factus ipso numero exprimeretur? totum quippe carmen lusus lasciviaeque plenum est. sed ut in viam redeamus, Catullum vel summis difficultatibus feliciter superandis parem fuisse galliambi carminis LXIII admirabili arte facti demonstrant. quodsi in versibus heroicis distichisque elegiacis aliquanto minorem limam animadvertimus, non tam vires quam voluntatem poetam defecisse existimandum erit. atque Augustei temporis poetas, qui ista metra ad summam perfectionem adduxerunt, in non nullis rebus constat vel Graecis severiores fuisse. contra Catullus, cum in horum arte adquiesceret, haud pauca sibi licita putavit quae ideo potissimum duriora nobis videntur quod ab insequentium poetarum Latinorum elegantia abhorrent. sic, ut exempla aliquot adferamus, hexametri eius saepius carent grata pedum vicissitudine quippe nimium pondere onerati spondeorum. et illud quidem quod plus quadraginta versus binis spondeis terminantur doctae poetarum Alexandrinorum imitationi tribuendum esse supra ostendimus. verum tres horum versuum dactylum omnino non habent nisi in prima sede. vid. c. LXIV 3. 44. LXVIII 87. qua in re Catullo severior fuit vel Lucretius, quem versibus in tres spondeos exeuntibus abstinuisse Lachmannus docuit commentarii p. 150 s., eisdemque abstinuerunt Augustei temporis poetae praeter Vergilium et Ovidium. sed Catullus semel adeo versum e solis spondeis constantem admisit, c. CXVI 3, quod ante eum aliquotiens factum scimus ab Homero et Ennio. ceterum potest hic subesse Gellii ludificatio, conf. quod supra p. LXVI dixi. porro inveniuntur non nulli hexametri quorum quartus tantum pes est

dactylus, ut c. LXIV 74. frequentes vero sunt ei in quibus idem pes in sola sede quinta conparet. vid. Baumannus p. X ss. ad pentametros quod attinet, unum poeta voce monosyllaba terminavit, c. LXXVI 8 *factaque sunt*, quod tamen ab enclisi aliquid excusationis habet. atque ea vel simili condicione Graecos quoque interdum hanc licentiam sibi indulsisse notum est. idem Catullus eorundem exemplo multos versus in vocem trisyllabam aut plus quam trisyllabam exeuntes fecit. neque magis Graecis anxie curavit ut sententiam uno semper disticho conprehenderet. haec igitur et alia quaedam — nolumus enim omnia enumerare — Catullum in metro elegiaco multum cedere ostendunt poetis Augusti aequalibus maximeque Ovidio, cuius tamen disticha, ut sunt sane politissima arte facta, ita a crimine *μονοτονίας* cuiusdam saepe ista cum virtute coniunctae vindicari nequeunt. iam vero unum commemorandum in quo poeta Veronensis non modo non adaequavit insequentium elegantiam, sed ab antiquiorum consuetudine paullum differt, licentiam dicimus in admittenda synaloepha conspicuam. qua de re primus exposuit Hauptius in observationibus criticis, opusc. I, p. 90 s. conf. praeterea L. Muellerus l. c. p. LXXV ss. et Baumannus p. XX ss. etenim Catullus cum omnino frequenter usus est synaloepha, tum haud raro longam vocalem et polysyllaborum, exceptis tamen iambicis, et monosyllaborum atque semel (c. VII 3) adeo diphthongum coire cum brevi fecit nec in tertia dactyli syllaba ab eiusmodi verborum conglutinatione abstinuit. ceterum cum tota haec coniungendarum vocalium ratio oris Latini propria inque locutione cottidiana usitata fuerit, consentaneum est plura synaloephae, praesertim durioris, exempla in levioribus istis poematiis inveniri quorum argumenta ad communem vitam pertinent quam in altioris generis carminibus. haec de re metrica Catulli hoc loco attulisse sufficiat. nam de s litterae finalis apocope in uno eius versiculo admissa quid statuendum videretur supra, cum de novorum poetarum rationibus in universum exponerem, declaravi, alia conplura in ea disputationis parte quae erat de Graecis studiis poetae attigi.

Arte et indole Catulli considerata sequitur ut de corpore carminum eius quod ad hanc aetatem pervenit quaerere instituamus, utrum ab ipso poeta necne constitutum editumque esse videatur. quae quidem quaestio postquam diu neglecta iacuit, cum plerique omnes 'libellum' Cornelio Nepoti dicatum eundem esse confiderent atque librum nobis servatum, paucique qui contra iudicarent, veluti Nipperdeius in prolegomenis editionis Cornelii a. 1849 emissae p. XVI, sententiam suam verbo significasse satis haberent, tandem a. 1863 Eduardus Brunerus in actorum

societ. scient. Fennicae t. VII, p. 601 ss. subtiliter in eam rem inquisivit vulgatamque opinionem certis argumentis refutavit. cuius tamen commentatio bonae frugis plena apud exteros parum innotuisse videtur, ita ut qui postea de Catulli carminibus scripserunt nullam fere eius rationem habuerint. recentissima demum aetate C. P. Schulzius in libro saeculari a praeceptoribus gymnasii Berolinensis Friderico-Werderiani a. 1881 publicato p. 197 ss. Bruneri ingressus vestigiis quaestionem ad exitum adducere temptavit, nec multo post Theodorus Birtius in libro qui inscriptus est 'das antike Buchwesen in seinem Verhältniss zur Litteratur', p. 401 ss. eadem de re disputavit itidem Brunerum in universum ducem secutus, cuius tamen commentationem non ipse vidisse potest. etenim Bruneri quae sunt Ellisio attribuit, qui in adnotatis ad c. I argumenta illius ex parte amplexus est, ceterum nomine auctoris non celato. horum igitur observationibus, quatenus nobis fidem fecerunt, in rem nostram conversis totam quaestionem ita retractabimus ut quid aut certo explorari aut probabiliter statui posse, quid in medio relinquendum esse videatur cum cura demonstremus. iam ex eis quae supra de vita poetae disseruimus miram quandam carminum corporis quod nomen eius fert condicionem intellegi licuit. permulta enim poemata argumento arte inter se cohaerentia atque tempore sibi proxima hic illic dispersa et dissipata leguntur, quaeque priora sunt aetate, in ipso libro posteriorem, quae posteriora, priorem locum saepe obtinent. sic, ut pauca exempla adferamus, c. LI cum omnium poematorum ad Lesbiam spectantium primum sit, c. XI ultima poetae ad eam mandata continet. c. XLVI Catullus ex Bithynia abiturus comitibus vale dicit, cum feliciter inde in patriam reversus c. XXXI larem suum salutet et c. IV phaseli qui eum reportavit celeritatem praedicet. c. CXVI Gellio epigrammata minatur quae carminibus LXXIV LXXX LXXXVIII—XCI continentur. neque solum rebus temporibusque cohaerentia divulsa, verum etiam sono longe dissimilia iuxta conlocata, severa lascivis, sancta inverecundis, tristia hilaris, alta humilibus mixta sunt. veluti flebilem de Lesbiae turpitudine in c. LVIII querimoniam obsceni in Rufum versiculi secuntur, eiusdemque generis carminibus sublimis ad Allium elegia utrimque includitur, et epigramma ad Calvum amicum de morte Quintiliae tenerrimorum affectuum plenum inpuritates carminis XCVII excipiunt. hunc igitur ordinem tam perversum ab ipso poeta profectum esse non est credibile, nisi forte quis eum statuit rerum diversissimarum confusioni consulto studuisse vitaeque suae imaginem non tam adumbrare poesi sua quam obscurare voluisse. neque vero tantae perturbationis culpa in librarios conferri potest. non

minores difficultates a forma corporis carminum universa nascuntur. primum enim aequabilitatis rationi ab antiquis poetis observatae repugnat corpus ex tam disparibus membris conpositum, quale est carminum Catullianorum, quod inter magnum numerum poematiorum lyricorum epigrammatumque etiam longiores elegias et hymenaeos atque adeo epyllion plus quadringentorum versuum conplectitur. deinde ambitus eiusdem libri multo maior est solito, qua de re nostra aetate, postquam de libris veterum eorumque cum litteris Graecis Latinisque necessitudine accuratiora edocti sumus, confidentius iudicare licet. novimus enim inde ex Alexandrinorum temporibus varia genera librorum suos habuisse modulos, brevioraque poetarum fuisse volumina quam scriptorum prosae orationis. atque illa quidem raro amplius singula millia versuum conprehendebant, longeque plurima septingenorum et nongenorum terminis circumscripta erant. conf. Birtius l. l. p. 289 ss. contra qui ad nos pervenit poetae Veronensis liber duo millia ducentos octoginta sex versus continet, neque is numerus pristinam versuum summam adsequitur, quando hoc corpus non prorsus integrum nobis servatum est. nam carmina II [a] et XIV [a] et LIV graviter truncata extant, nec desunt alia quae singulorum aut etiam plurium versuum iacturam fecerunt, non nullaque veteres adferunt a libro Catulliano nunc quidem omnino aliena, probabiliter autem olim in eo lecta, inter quae quod a Plinio memoratur poema incantamenta amantium imitatione exprimens (fragm. IV) non potest non e longioribus fuisse. quodsi Catullus haec omnia, ut vulgo creditur, uno volumine conplexus esset, librum condidisset usitatis triplo circiter maiorem et qui volumina prosae orationis continentia neque ea parum ampla magnitudine adaequaret. tanti vero ambitus librum etiam si praeter morem et suae aetatis et saeculorum proxime antecedentium edere instituisset poeta, vix eum potuit libelli nomine notare, quo bis in primo carmine usus est, quam quidem adpellationem a volumine insolitae magnitudinis abhorrentem nec modesto istorum versiculorum sono nec deminutivorum amore Catulli apte defenderes aut excusares. ceterum ea voce praecipue poematorum libri ob id ipsum quod minore modulo conficiebantur designari solebant, quemadmodum ipse Catullus in c. XIV 12 coniunctim edita malorum quorundam poetarum opuscula Saturnalibus a Calvo sibi dono missa, i. e. anthologiam quandam carminum Latinorum, 'horribilem et sacrum libellum' vocavit. plura eius usus exempla attulit Birtius p. 22 s. libellum autem Nepoti dicatum usitatis poetarum voluminibus non maiorem fuisse inde quoque efficitur quod Catullus eum 'lepidum' dixit, quam vocem falso non nulli et inter eos

Birtius quoque p. 408 ad argumenta carminum rettulerunt (et praeivit in hoc errore iam Ausonius XXIII, v. 1 ss. et XXVI 1 ed. Schenkel.): non potest enim nisi ad formam speciemque libelli spectare, id quod vicina verba *novum* et *arida modo pumice expolitum* ἀσυνδέτως adnexa demonstrant. nec deceret profecto Catullum in tali carmine ulla de poesi sua praedicatio. huc accedit quod poeta istum libellum ideo se Cornelio donare ait, quia is 'nugas' suas pridem adprobaverit, unde colligere licet in volumine Nepoti dicato non fuisse nisi minora poemata lyrica, qualia saepius nugarum sive ineptiarum nomine designata videmus. conf. c. XIV[a] 1 et Ellisius comment. p. 4 et 43 s. parum enim eius modi appellatio in maiora illa carmina quadraret quae in Graecorum poetarum maximeque Alexandrinorum imitatione posita Catullo 'docti' epitheton conciliavere (conf. Ovidius amor. III 9 62. Lygdamus VI 41. Martialis VIII 73 8. XIV 152 1). quod quidem argumentum etsi concedimus per se non satis firmum esse propterea quia poeta in istis praesertim versiculis modestiae plenis omnia omnino sua prae doctis et laboriosis rerum scriptoris operibus nugas dicere certe potuit, tamen coniunctum cum reliquis ne hoc quidem suo carere pondere existimamus. iamque vulgata opinio satis videri possit refutata esse. nihilo minus quaedam subicere libet quibus quae adhuc disputavimus aliunde confirmentur. faciamus totum corpus quod extat una editum et Cornelio inscriptum esse: certe haec editio ante annum 700/54 prodire non potuit, quoniam conplura carmina, ut supra vidimus, isto demum anno scripta sunt. at nonne permirum videtur poetam tam sero, sub extremum vitae suae tempus, animum induxisse ut carmina sua bibliopolae traderet? sed fortasse quispiam dixerit Catullum, cum singula quaeque statim ubi conposita essent privatim divulganda curaret, satis sic famae suae consuluisse ideoque non habuisse cur libellos rite edere tanto opere festinaret. et sane verum est cum alia veterum opuscula tum maxime poemata, quando vix absoluta amicis tradi solerent legenda, priusquam per bibliopolas ederentur, descriptis hic illic exemplis in multorum saepe hominum notitiam venisse, qua de re vid. Brunerus p. 605 et Birtius p. 346, qui locos quosdam Galeni ad eam rem in primis aptos (vol. XIX, p. 10. 51 s. 56 K.) excripsit (conf. etiam idem Birtius p. 282 s. et E. Rohdius Gött. gel. Anz. a. 1882, p. 1560). nec dubitari potest quin eo modo magna pars Catullianorum carminum primum innotuerit. veluti singula epigrammata contra aemulos in amore scripta atque ea quae ad rem publicam pertinent non in scriniis retenta esse a poeta, donec in unum collecta bibliopolae tradi liceret venditanda, sed ilico divulgata esse per se intellegitur, nec Cae-

sar in Gallia absens istos de Mamurra versiculos, quibus sibi ignominiam inustam profitebatur, aliter quam per exemplum a nescio quo transcriptum et in provinciam missum cognoscere poterat. tali igitur tamquam privato editionis genere si aliquamdiu contentus erat Catullus, parebat necessitati, cum non continuo brevissima quaeque librariorum cura publicari possent. verum ubi habebat quibus volumen soliti ambitus conpleretur eaque quodam cognationis vinculo inter se iuncta, cur ab edendis eis tam diu abhorruerit difficile est cogitatione conprehendere. an tu eum parum habuisse fiduciae sui arbitraris? at vetus laus Nepotis certe animum ei addere debuit nec minus amicorum exemplum, ut Cinnae et Calvi, quorum libellos modo editos ipse versibus commendandos suscepit. nonne igitur probabile est Catullum, priusquam novam quasi vitam incohaturus in longinquas Asiae regiones iter subiret, carmina ad id scripta aut saltem optima eorum praecipueque ea quae ad amorem Lesbiae pertinerent collecta ac disposita in vulgus emisisse? porro num existimari potest poeta haud multum post inpetratam a Caesare carminum veniam quasi reconciliatae gratiae inludens librum edidisse in quo omnia, quaecumque in imperatorem eiusque adsectatores contumeliose dixerat, ad diuturnam memoriam congesta leguntur? quod quidem adeo cogitari nequit ut, si tamen cuncta Catulliana putarem una edita esse, id ante deprecationem poetae factum esse concluderem, fateorque me semper quam maxime miratum esse quo modo Schwabius sibi persuaserit Catullum, postquam intra menses anni 700/54 priores a Caesare veniam versuum acerbissimorum accepisset, eodem anno fere medio librum suum in lucem emisisse (quaest. Cat. p. 237 et 297).

Ita, quocumque vertimur, in maximas difficultates incurrimus, nisi vulgata opinione abiecta libellum Cornelio Nepoti dicatum partem tantum carminum nobis servatorum continuisse statuimus. sed quam partem? hoc quo minus certo definiamus etsi ipsa corporis ad nos propagati condicio, de qua satis antea diximus, prohibet, tamen aliquid ea de re generatim videtur explorari posse. atque isto libello non conprehensa fuisse nisi minora poemata lyrica ex nugarum adpellatione iam supra collegimus. verum ne de omnibus omnino brevioribus carminibus cogitemus duo loci faciunt Martialis, id quod rectissime perspectum est a Brunero p. 606 ss. epigrammaton IV 14 enim hic poeta Silio Italico quosdam libellos suos Saturnalibus dono mittit, quos cum illum seposita severitate legere iusserit, in extremo carmine 'sic forsan', inquit, 'tener ausus est Catullus Magno mittere passerem Maroni', idemque XI 6 16 puero cuidam delicato basiorum innumerabilium praemium 'passerem Catulli' sese donaturum esse

promittit. quos locos qui secundum rationem artis hermeneuticae examinaverit, non poterit quin passeris nomine libellum quendam poetae Veronensis indicari adgnoscat. ac priorem horum locorum ita interpretandum esse conplures antea intellexerant, veluti Gerardus Ioannes Vossius de poetis Latinis cap. I, Leutschius philol. X, p. 735, alii, nisi quod toti carminum corpori quod extat illud nomen fuisse arbitrabantur. verum adparet non potuisse sic nisi eum librum adpellari in quo carmen nunc secundum, quod a verbis 'passer, deliciae meae puellae' incipit, primum locum obtineret. quippe consuetudo erat veterum ut nota opera maximeque poetarum ab ipso eorum exordio designarent, veluti idem Martialis Aeneida Vergilii verbis 'arma virumque' significavit in VIII 56 19 et XIV 185 2, cuius rei plura exempla attulit O. Iahnius ad Persium p. 103 s. hinc colligimus cum Brunero unum libellum Catulli fuisse qui a priori carminum de passere Lesbiae, alium qui a carmine ad Cornelium scripto initium sumeret. dictum est quidem et olim et nuper rursus a Schulzio l. c. p. 206 poematium hoc posterius, cum esset praefationis loco, extra ordinem esse Martialemque libelli Cornelio dicati adpellationem ab initio eius carminis quod vere primum esset ipsius corporis repetivisse. quae quidem sententia inde videri potest aliquid praesidii habere quod Catullus in versiculis ad Cornelium ita de libello illi donando loquitur, quasi volumen quo inclusus est iam paratum in manibus teneat, quippe quod lepidum et novum et modo pumice expolitum dicat. at eam fictionem poeticam esse facile unusquisque sentiet. sed fac ipsum poetam dedicationem in interiore parte membranae quae pro involucro volumini erat inscripsisse, quod veteribus in usu fuisse Gabriel Peignotius in dissertatione 'sur la reliure des livres chez les anciens' p. 53 s. contendit: eam consuetudinem, si qua fuerit, vix in descriptis exemplaribus retentam esse Brunero concedendum erit. multo autem gravius hoc est, quod idem iam Brunerus adnotavit, quod Martialis passerem a Catullo fortasse Vergilio missum esse nullo modo potuit fingere, si initio eius libri omnium oculis Cornelii nomen se obtulisset. immo hoc commentum poetae Bilbilitani documento est passerem nemini inscriptum fuisse. ne quis enim ita sese ex difficultate expedire conetur ut quaedam carminum Catullianorum exemplaria ista ad Nepotem praefatiuncula caruisse eorumque uno Martialem usum esse dicat, epigrammatum eius III 2 inpedit in aperta imitatione illius poematii positum (conf. etiam VIII 72). quodsi quaerimus quaenam carmina passer continuerit, non errare nobis videmur, si pleraque eorum quae ad Lesbiae amorem spectant, quibus etiam epigrammata in rivales facta adnumeramus, intermixtis aliis non

nullis ex brevioribus eo conprehensa fuisse dicimus. nam praeter duo de passere poematia etiam carmina V et VII ibidem lecta fuisse ex epigrammatum Martialis quae supra attulimus altero efficitur, cuius extremi versiculi ita nimirum sunt interpretandi ut poeta basiorum Catullianorum quae a puero poscat praemium ipsum eum librum in quo ille de istis basiis edoceri possit promittere statuatur. omnino autem in hoc corpore non fuisse nisi minora carmina amatoria, ludicra vel etiam maledica eorundem epigrammatum prius demonstrat, ubi Martialis suos ipsius libellos 'lascivis madidos iocis' et remissa fronte legendos cum passere Catulli ita confert ut similem huic libello habitum adiudicet opponatque utrosque gravitati epicorum carminum. ceterum quod pleraque, non omnia poemata ad amorem Lesbiae pertinentia passeri attribuimus, non inconsiderate id fecimus. nam ut de carminibus XI et XLIII multum post solutum cum illa foedus conpositis taceamus deque carmine LXVIII maiore et doctiore quam quod tali libello conveniat, etiam LI excipiendum esse arbitramur, quippe quod, cum duobus de passere poematiis tempore antecedat, Catullum, si omnino in hoc corpus recepisset, primo loco conlocaturum fuisse veri simile sit. nec inepte suspicere exclusum esse a poeta propterea quia minus certe reliquis perfectionis habet. quodsi ad persuadendum apte de rebus in passere tractatis disputavimus, non temerarium fuerit etiam de tempore quo hic libellus prodierit coniecturae periculum facere. Catullum a. 696/58 amori Clodiae prorsus renuntiavisse, vere anni insequentis in Asiam abisse scimus. itaque eum non ita multo ante quam Italiam relinqueret id corpus quod Martialis a primo eius carmine passerem vocavit in vulgus emisisse existimamus. cui coniecturae non solum ab universis vitae Catulli rationibus, verum etiam a singulis quibusdam vestigiis praesidium paratur. scilicet in c. XVI 12 s. cum Aurelium et Furium 'multa milia' basiorum legisse ait poeta, his verbis, ut supra diximus, ad c. V respicit. quod quidem carmen etsi fieri potuit ut illis per exemplum privatim descriptum in notitiam veniret, tamen, quando in passere infuisse certum est, quidni in hoc corpore ab eis lectum fuisse statuamus? idque a tota insuper ratione carminis XVI commendationem habet, in quo Catullus de natura poesis suae ita exponit ut non paucorum versiculorum, sed libri a se editi patrocinium suscipere videatur. quod si verum est, passer iam a. 698/56 aut 699/55 in manibus hominum erat, nam alteri utri horum annorum c. XVI attribuendum est (conf. p. XXVIII). eandemque conclusionem c. XLIII subgerit non temere supra p. XXX anno 699/55 a nobis adsignatum, ex cuius versu 7 perspicitur Catulli de Lesbia poematia tum temporis in provincia

quoque Transpadana bene nota fuisse. conf. p. XIII. quae cum ita sint, etiam honorificum Cornelii de poesi Catulliana iudicium in primo carmine commemoratum probabiliter videmur ad eundem passerem modo editum referre. ex eo autem rursus efficitur ut libellus ad illum missus post iter Bithynicum prodierit, quoniam inter huius voluminis editionem et istam laudationem Nepotis aliquantum temporis intercessisse scimus. atque inde etiam ad alteram quaestionem quae est de carminibus hoc libello conprehensis aliquid certe proficimus. etsi enim quae quotque continuerit corpus Cornelio inscriptum accurate definire velle in tantis tenebris absurdum foret, tamen id saltem paullo confidentius adfirmare licebit pleraque poematia ibi collecta ad res anno 696/58 posteriores pertinuisse et inter alia ea infuisse quae ad ipsam peregrinationem Catulli domumque reditionem spectant, ut carmina IV X XXVIII XXXI XLVI CI, quibus propter temporum rationes IX quoque et XIII adiungenda censemus. praeter duo haec poematiorum lyricorum corpora Catullum etiam maiora sua carmina ipsum edidisse cur negandum sit causam nullam dispicimus. et epyllion quidem de nuptiis Pelei et Thetidis, quod supra suspicati sumus in Bithynia conditum esse, quando per se solum in magnitudinem libri poetici extenditur neque aliud inter Catulliana carmen epicum extat, haud dubie separatim, quemadmodum Zmyrna Cinnae, publicatum est. deinde comam Berenices cum praemissa ad Ortalum epistula et elegiam ad Allium eodem circiter tempore, h. e. a. 694/60 aut 695/59 scriptas et conpositionis ratione aliquatenus inter se similes in monobiblon coniunctas fuisse non est inprobabile, idemque in duos hymenaeos cadit. de reliquis carminibus maioribus coniectura abstinemus. epigrammata vero in Caesarem Caesarianosque facta, ut vix putari possunt in libello ad Cornelium misso locum habuisse, etiam si eum anno demum 700/54 prodisse sumamus, ita num omnino a Catullo in unum coacta bibliopolae tradita sint dubitari licet. nam post satisfactionem quidem poetae fieri id nullo modo potuisse iam supra diximus. itaque ista credibilius est mortuo Catullo collecta esse, cum eisque alia non nulla quae ille extremis vitae suae annis conposuerat, veluti carmina XXXVIII et XLIX, aut memoriae prodere non cogitaverat, qualia sunt probabiliter CII et CIII, et fortasse etiam CXVI et LI, possuntque ea aut alteri utri de duobus poematorum minorum corporibus addita aut separato volumini commissa esse. ita conplura monobibla Catulliana extabant certe usque ad aetatem Martialis, qui eorum unum commemoravit. postquam autem ad propaganda litterarum monumenta codices membranei in communem usum recipi sunt coepti, omnia illa

volumina adparet in unum codicem neque eum peramplum referri potuisse. quem laborem qui suscepit, is non singulos deinceps libellos transcripsit, sed novam ordinandorum carminum rationem extrinsecus petitam iniit. nimirum poematia lyrica variis metris condita primo loco posuit ita ut inter hendecasyllabos phalaecios, genus longe frequentissimum, hic illic iambicos, asclepiadeos, sapphicos, glyconeos, priapeos versus intericeret, carmina vero maiora in medio conlocavit et elegias quidem, in quibus metri causa etiam ianuam numeravit, post reliqua constituit eoque modo transitum sibi ad postremam partem paravit, in quam omnia minora carmina eodem metro elegiaco conposita recepit. quod quidem facile intellegitur non potuisse nisi sic fieri ut modo ex hoc modo ex illo volumine hauriret pristinumque carminum ordinem nulla rerum temporumque ratione habita tolleret et ita confusam istam congeriem crearet, in qua hodie offendimus; cui quos initio unius voluminis invenerat versiculos ad Cornelium scriptos tamquam aptam totius corporis praefationem praeposuit. hinc explicari putamus quod carmina ob causas introrsum sitas iungenda, quae primitus haud dubie non solum eodem in libello legebantur, sed etiam iuxta posita aut vicina erant, in libro ad nostram aetatem propagato alia magno intervallo a se distant, alia singulis tantum diversi generis carminibus separata sunt, alia continuo sese excipiunt. atque in his quidem vestigia ordinis ab ipso poeta sive ab amicis quos post eius mortem inedita disposuisse coniecimus instituti aut vere expressa aut leviter turbata adgnoscimus. sic statim post epistulam ad Nepotem tria prima carmina passeris secuntur, nam etiam mutilum id poematium quod numero II[a] signavimus vix dubitari potest quin ad initia amoris Lesbiae pertinuerit (conf. adnot. crit.). deinde carmina IX et X haud multum ambo post Catulli ex Bithynia reditum scripta nihil inpedit quo minus in libello ad Cornelium misso continua fuisse statuamus. neque enim, cum poetam quae ad ipsius vitam spectarent divisa temporibus et serie rerum digesta conposuisse contendimus, simul gratae cuidam varietati eum studuisse negamus. porro carmina LII—LV eidem omnia anno 700/54 attribuenda esse vidimus, suntque ea, si ab ultimo recesseris, quodam quoque cognationis vinculo inter se coniuncta. frequentiora etiam exempla in postrema corporis parte deprehendimus, quae omnia poematia distichis elegiacis facta continet. conferri in eam rem iubemus carmina LXXII—LXXVII. LXXIX et LXXX. LXXXVIII—XCI. XCIII et XCIV. XCV et XCV[a]. CX et CXI. CXIV et CXV. iam quis ille fuerit qui carmina Catulliana in corpus quod extat redigeret aut quo tempore et ubi vixerit obscurum est quidem, sed sera

eum aetate vixisse, qua perexigua esset rerum ad vitam Catulli pertinentium notitia poematorumque eius intellegentia, ex ipsa ordinis eorum perversitate Brunerus p. 610 merito collegit, nec inprobabiliter idem fortasse illum Veronae fuisse suspicatus est, cuius oppidi cives etiam medio quod dicitur aevo perpetuandae popularis poetae memoriae prospexisse codex Catullianus ibi olim adservatus, ex quo omnes nostri fluxerunt, testis est.

Venit disputatio eo ut de libris manu scriptis per quos carmina Catulli nobis sunt tradita eorumque origine dicendum sit. igitur certum est saeculo decimo Veronae iacuisse exemplar horum carminum. namque a. 965 Ratherius, episcopus tum Veronensis, in sermone de Maria et Martha habito sese Catullum numquam antea lectum legere confitetur. vid. Mignii patrolog. Latin. t. CXXXVI, ubi Ratherii opera secundum editionem Veronensem a fratribus Balleriniis curatam denuo typis excripta extant, p. 752, et de tempore illius sermonis Albrechtum Vogelium in libri de Ratherio Ienae a. 1854 editi vol. I, p. 317 ss. et II, p. 87 ss. neque ullo modo potest dubitari quin Ratherius codicem poetae sibi ad id ignoti in ipsa sua sede episcopali reppererit. nam qui fieri potuisse opinati sunt ut eum e Gallia vel aliunde secum Veronam portaret (conf. Hauptius opusc. I, p. 2 s. Ellisius prolegom. edit. alterius p. VII), iam eo refelluntur quod, cum Ratherius inde ab anno 961 exeunti tertium esset episcopus Veronensis, quadriennium Veronae commoratus dicere nequiit Catullum numquam antea sibi lectum esse, ut recte adnotavit Vogelius l. c. I, p. 319. atque opponit Ratherius Catullum Plauto iam olim lecto. sed post Ratherium exempli Catulliani per trecentos amplius annos nulla fit mentio. neque veri simile est Ieremiam iudicem de Montagnone, civem Paduanum a. 1300, ut creditur, mortuum, qui in compendio moralium notabilium septem locos Catullianos attulit (vid. R. Peiperus libelli de Catullo Vratislaviae a. 1875 editi p. 20 s. et Ellisius l. c. p. X s.), eos ex integro aliquo codice poetae Veronensis hausisse. immo Baehrensio adsentiendum est proleg. p. LVIII conicienti illos e florilegio quodam poetarum Latinorum desumptos esse. initio autem saeculi quarti decimi aut non multo post Veronae rursus codex carminum Catulli inventus est. qua de re certiores nos facit epigramma secundi huius casus celebrandi causa conpositum, quod cum per alios aliquot libros Catulli tum per Sangermanensem nobis servatum est, isque etiam verum auctorem istius poematii in paucis recentissimorum codicum inepte Guarino attributi adfert. habet enim in fine haece:

Versus domini Benevenuti de Campexanis de Vicentia de resurrectione Catulli poetae Veronensis.

Ad patriam venio longis a finibus exul.
Causa mei reditus compatriota fuit,
Scilicet a calamis, tribuit cui Francia nomen,
Quique notat turbae praetereuntis iter.
Quo licet ingenio vestrum celebrate Catullum,
Cuius sub modio clausa papyrus erat.

Benevenutum Campesanium Vicetinum, poetam apud aequales clarum, primis decenniis saeculi quarti decimi vixisse et ante annum 1330 mortuum esse scimus. vid. Hauptius opusc. I, p. 3. Schwabius in actis conventus philolog. Misniensis p. 113. epigramma autem eius de inventis Catulli carminibus cum sit sane obscurius et aenigmatis simile, non mirandum est quod de interpretando eo variae sunt discrepantesque sententiae. et alterum quidem distichon, quo nomen et officium inventoris significantur, vereor ne numquam plene expediri possit. sed id ne refert quidem magni: sufficit enim ex v. 2 cognoscere illum hominem Veronensem fuisse. quod autem ad v. 1 attinet, recte sine dubio ei iudicant qui ibi Catullum censent ab inferis redeuntem fingi. quam ad explicationem confirmandam non multum quidem illud valet quod in codice Sangermanensi epigramma Campesanii 'de resurrectione Catulli' inscribitur, quia hic titulus utrum ipsi auctori debeatur necne incertum est. sed qui codicem Catullianum dici existimant longinquis e terris Veronam reductum esse, ut Ellisius proleg. p. XV ed. alt. et Baehrensius proleg. p. VII, parum reputaverunt non librum poetae, sed ipsum poetam loquentem induci, ut extremum distichon perspicue ostendit. vixque credibile est Campesanium, si homo aliquis Veronensis codicem Catullianum peregre in patriam portavisset sive reportavisset, imagine papyri sub modio clausae usurum fuisse. immo haec similitudo, quam diu intellectum est petitam esse a Lucae verbis ev. 11, 33, id potius indicat, adfuisse quidem librum illum, sed latitasse in nescio quo angulo obscuro abditum. itaque pro explorato potest haberi sub initium saeculi quarti decimi codicem aliquem Catulli Veronae a cive Veronensi ex diuturnis tenebris protractum esse. hunc autem eundem codicem fuisse quem saeculo decimo Ratherius legerat cum per se probabile est, tum ei coniecturae subscriptione libri Sangermanensis multum fidei additur. is enim liber a. 1375 Veronae scriptus est, quique eum exaravit exemplar suum corruptissimum et salebrosum dicit neque ullum aliud ex quo transcribere posset adfuisse testatur. unde duae res effici cogique possunt, primum, Sangermanensem ex ipso codice Veronensi (V) — ita enim adpellari denotarique solet — descriptum esse, deinde, hunc antiquum et satis difficilem lectu fuisse. quarum conclusionum prior sane

concideret, si verum esset quod nuper Aemilius Chatelain in palaeographia classicorum Latinorum Parisiis ab a. 1884 publicari coepta p. 4 suspicatus est, istam subscriptionem non ad codicem Sangermanensem ipsum, sed ad exemplum eius, h. e. apographon libri V a. 1375 factum, pertinere. quam ille suspicionem duxit maxime ex verbis 'et cetera' in fine subscriptionis positis, unde sibi visus est colligere posse auctorem libri Sangermanensis longiorem subscriptionem in exemplari suo inventam eo modo amputavisse. verum illa verba facile etiam aliam explicationem admittere apertum est. neque ego quidem paucis quibusdam mendis quae in subscriptione inveniuntur, ut *alliquo* et *suggeret* pro *suggereret*, quorum hoc ex consuetudine vocabula per compendia scribendi ortum est, et inconstantiae in re orthographica (conf. *coruptus* et *corruptissimo*) tantum tribuere ausim. ceterum ipse Chatelanius necessario concessit scripturam libri Sangermanensis non posse anno 1375 multo inferiorem esse. sed ut institutam disputationem persequar, post hoc tempus vestigia exempli Veronensis rursus evanescunt. nisi quod non inprobabile est Baptistam Guarinum eo etiam usum esse. id ut credamus non tam illis Alexandri filii, qui Catulli carmina a patre emendata Venetiis a. 1521 edidit, de codice 'antiquissimo' sive 'antiquo' sive 'vetusto' adnotamentis (de quibus conf. Schwabius in ind. schol. Dorpat. a. 1865, p. 12 ss.) adducimur quam loco quodam epistulae Ferrariensis a. 1456 scriptae, quae nuper ab Eugenio Abelio e codice Apponyiano publicata recteque haud dubie Baptistae Guarino attributa est ephem. gymnas. Austriac. t. XXXIV, p. 164 ss. in fine enim huius epistulae, quae ad quemnam data sit ignorari dolendum est, haece leguntur: 'Catullum ubi meliorem fecero, ad proprios lares remeare compellam.' in quibus verba *ad proprios lares remeare* vix aliud quicquam significare possunt quam *Veronam redire*, nec ineptum fuerit suspicari Guarinum, cum sic scriberet, in carmen XXXI Catulli (conf. v. 9) iocatum esse. videtur igitur vetustum illud exemplum etiam medio saeculo quinto decimo Veronae in bibliotheca capitulari adservatum indeque Guarino petenti per aliquod tempus commodatum esse. deinceps quid eo factum sit nescitur. sed omnes, quotquot adhuc extant, libros manu scriptos carminum Catullianorum — sunt autem plus septuaginta numero — ex uno hoc codice nunc amisso derivatos esse certum et pridem perspectum est. quippe ita omnes in universum inter se consentiunt ut non possint non communem originem habere. atque Sangermanensem quidem ex ipso V descriptum esse iam memoravimus. hunc codicem (G), qui nunc in bibliotheca nationali Parisina, ubi est Latin. n. 14137, adservatur, post I. Silligium,

qui primus de eo rettulit annal. philol. t. XIII, p. 262 et 269, Duebnerus in usum Schwabii, Ellisius, Baehrensius excusserunt. supplevit partimque correxit has collationes et de universa libri diligenter a se examinati condicione exposuit M. Bonnetus (revue critique XI, 1, p. 58 ss.). imaginem codicis arte heliographica expressam vides apud Chatelanium l. c., tab. XV. dolendum est autem quod G procedente tempore conplurium correctorum manus passus est, quodque permultae eorum mutationes radendo factae sunt tam dextere ut facile oculos fugiant, nec raro pristina scriptura dignosci omnino nequeat. nam Baehrensio prolegom. p. XIV et XVII statuenti has correctiones omnes ab eadem manu quae G exaravit factas esse atque ipsius scribae ingenio deberi post Bonneti operam, qui tres minimum diversas in eo libro scripturas distingui posse adfirmat (l. c. p. 60), nemo profecto fidem habebit. atque quam falsa sit ista opinio etiam subscriptio codicis G ostendit, in qua librarius lectorem sibi veniam dare iubet, si apographon a se confectum corruptum videatur, eiusque rei causam ex mala condicione exemplaris sui repetit et fore sperat ut ex alio aliquo codice fortuito emergenti suum possit corrigere. ex quo conficitur ut ille quam maxima posset fide V transcripserit neque propriis viribus emendare eum conatus sit. a correctoribus istis etiam pars variarum lectionum, quas G plurimas sive inter versus sive in margine habet, addita est. vid. quae in act. litter. Ienens. a. 1878, p. 208 ea de re diximus. aliae dubium esse non potest quin in V repertae ab ipso libri G auctore adscriptae sint. denique inveniuntur etiam quae eo videantur ortae esse ut idem librarius, cum exemplar suum duobus modis legi posse existimaret, incertus utra lectio vera esset, alteram alteri adiceret. quamquam talia nescio an eodem iure ei qui V scripsit attribuas. — codici G aetate par aut certe non multo inferior est Canonicianus 30 bibliothecae Bodleianae sive Oxoniensis (O), quem in medium protulit Ellisius in priore sua Catulli editione Oxonii a. 1867 publicata (conf. ibi prolegom. p. XXXV s.). postea collatus est a Baehrensio, cuius operam suppleverunt correxeruntque C. P. Schulzius Hermae t. XIII, p. 50 ss. et Ellisius in editionis alterius a. 1878 emissae praefat. p. XII s., qui et specimen scripturae exhibuit ibid. ad p. 146. hic codex, qui cum G magis consentit quam ullus alius liber Catullianus, etsi subscriptione caret, tamen dubitari non potest quin aeque atque ille ex ipso V, nullo alio libro intercedente, prodierit. vid. quae ea de re disputavit Baehrensius proleg. p. XIV ss. augetur autem libri O pretium eo quod correctorum arbitrium non expertus est, ita ut saepe, ubi prima manus codicis G radendo est obscurata, eam scripturam

praebeat quam olim in illo quoque fuisse veri simile est. nam paucissimi loci quibus parvulae quaedam rasurae etiam in O deprehenduntur incertum a quonam factae in censum non veniunt. neque vero ipsum huius libri auctorem verba in V tradita interdum suis inventis interpolavisse concedimus. quas enim talis opinionis firmandae gratia ex O lectiones conposuit Rudolfus Sydovius in dissertatione 'de recensendis Catulli carminibus' Berolini a. 1881 emissa p. 36 ss., de eis nos longe aliter iudicamus. veluti c. LXIV v. 139, ubi O pro *nobis*, quod in G plurimisque reliquorum legitur, praebet *blanda*, eam scripturam genuinam esse confidimus. vid. quae in adnot. critica ad h. l. diximus. statuimus autem utramque lectionem in V fuisse, unde altera in O, altera in G perveniret. etenim librum G, etsi permultas habet duplices scripturas, tamen non omnes quae in V legebantur exhibere inde efficitur quod non nullae in O extant a G alienae (conf. Baehrensius proleg. p. XXXVII s. et nos in act. litt. Ienens. l. c. p. 210), idemque libri Bononiensis, de quo infra dicemus, cum G et O conparatio subgerit (conf. Sydovius p. 13 ss.). porro eiusdem epyllii v. 353 O *messor*, G cum plerisque recentiorum librorum *cultor* praebet. atque hoc posterius nos quoque vere Catullianum existimamus. at tamen illud *messor* nullo modo probabile est ab ipso libri O scriptore profectum esse. quod cum etiam in margine codicis Santeniani et in duobus libris Ellisianis conpareat, colligendum est potius hic quoque duas in V lectiones fuisse, quarum is qui G exaravit praeter consuetudinem suam alteram tantum transcriberet. ceterum utra earum archetypi propria fuerit, utra adscripta sive superscripta, neque hoc loco neque aliis certo diiudicari potest. nam id quidem minime concedimus quod Baehrensius proleg. p. XXXIX sibi persuasit, libri O auctorem lectionis varietate neglecta nihil omnino nisi quod V in ipso textu praeberet descripsisse. immo qui omnes locos ad eam rem idoneos nulla praesumpta opinione examinaverit, non poterit quin illum quoque librarium aeque atque eum qui G confecit interdum duplicium in V scripturarum delectum habuisse statuat, quod tamen nihil est cur non utrumque bona fide fecisse arbitremur. sic c. XXVIII 11, ubi G in ipso versu falso *parum*, super versu recte *pari* dat, illam principalem lectionem libri V fuisse nostro iure inde colligimus quod textus libri Bononiensis eandem varietatem praebet hoc modo: *parum al. pari*, recentiorumque codicum multi *parum* exhibent. at O *pari* testatur, i. e. lectionem quae in V adscripta fuerat in verborum ordinem recepit. similiter c. L 13, ut alterum exemplum adferam, et G et Bononiensis hanc duplicem scripturam in ipso textu habent: *omnem al. essem*. et potest idem eodem

modo in V scriptum fuisse, quem probabile est varias lectiones non solum in margine aut inter versus, sed interdum etiam in ipso textu exhibuisse (conf. Baehrensius proleg. p. XXXVIII). O autem, cum *essem* praebeat, quod verum est, secundariam libri V scripturam elegisse putandum est, cum primaria in Datanum, qui *omnem* testatur, transierit. sed ut redeam unde digressus sum, non plus probant reliquae lectiones a Sydovio ex O adlatae quibus interpolatoris operam deprehendisse sibi visus est. quarum eae quae in margine codicis adscriptae sunt c. LXIV 11 et 15 ad rem proprie non pertinent, quae vero in textu leguntur aut item ad V revocandae partimque eadem ratione atque duae illae de quibus supra diximus explicandae aut mero errori attribuendae sunt. omnino enim ea in re confitendum est hunc codicem Sangermanensi cedere quod, cum non numquam vel eis locis ubi ille correctoris manum passus esse non videtur maiore cum fide exemplar Veronense reddat, tamen in universum multo pluribus mendis et inscitia et neglegentia transcribentis librarii ortis, quamquam plerumque non ita gravibus, adfectus est. — de ceteris codicibus, quotquot innotuerunt, nullus saeculo quinto decimo est superior, ducitque agmen Bononiensis (B) a. 1411 exaratus. quorum quidem scripturas cum Baehrensius saepe consentire videret cum correctionibus in G factis, novicia ista exempla ad unum omnia ex hoc libro profecta esse conclusit (proleg. p. XIX ss.). verum hanc opinionem falsam esse iam inde adparet quod inveniuntur loci, quibus cuncti codices cum depravati sint, tamen pars recentiorum propius quam et G et O a manu Catulli abest, veluti c. LXV 14 et LXVI 5. neque desunt alia argumenta ad refutandam istam opinionem idonea. v. nos in act. litter. Ienens. l. c. p. 209 s. et Sydovium in dissertatione quam supra attulimus. itaque dubitari non potest quin codices recentiores aut omnes aut certe aliquot e tertio libri V apographo nobis non servato fluxerint. nihilo minus fidem eorum, utpote qui omnes ab Italis illorum temporum interpolati sint, valde sublestam esse concedendum est. quibus utique utendum erat, priusquam antiquiores melioresque libri in lucem protracti essent. atque Lachmannus quidem, cui nec G nec O in notitiam venerat, ex illorum numero duos ad recensenda poetae carmina duces sibi elegit, quos reliquis praestantiores iudicabat, Datanum (D) et Santenianum (L). qui cum editione sua, quae prodiit Berolini a. 1829, egregium emendationis Catullianae fundamentum iecisset, factum est ut codices ab eo adhibiti etiam post repertum G in honore haberi non desinerent, praecipueque D, quamquam anno demum 1463 scriptus, magna auctoritate uteretur. et habet sane hic codex quaedam singularia. sed eundem

nemo negare potest plurimis foedissimisque interpolationibus inquinatum esse. sic, ut pauca exempli gratia adferam, c. XCV[a] 1 lacunam inepto additamento *laboris* explet, c. CIV 4 pro verbis *tu cum Tappone* dat *tu cuncta potes*, c. XI 3 pro *ut* rara significatione locali usurpato cum plerisque recentium librorum *ubi* substituit, c. I 9 *quidem* metri reficiendi causa ex *quod* fictum exhibet, c. LXXVI 10 falsum verborum ordinem hiatus evitandi gratia infert, c. CXV 5 pro *saltusque paludesque* praebet *altasque paludes*, quo hexameter hypercatalectus ad regulam revocatur, sententia pessum datur. quae cum ita sint, etiam bonas huius codicis lectiones, si quidem a consentienti librorum G et O memoria recedunt, suspicionem movere consentaneum est, neque dubitamus quin pleraeque earum ab Italis coniectura restitutae sint, ut ex. gr. illud *canam* c. LXV 12. at paucae sunt tamen quas probabilius sit ex V manavisse quam correctoris ingenio deberi. huc nescio an *petitis* c. LXVI 83 referendum sit, quod a Catulli manu profectum esse censemus. cuius loco quod G et O *colitis*, alii *quaeritis* dant, id facile ita explicari potest ut hic quoque varias in V fuisse lectiones ponamus. confidentius de c. XCVII 5 iudicamus, ubi codicis D vestigia secuti cum Hauptio edidimus quod ab elegantia orationis pariter atque metri plurimum commendationis habet, *nam sine dentibus est. dentis os sesquipedalis.* nimirum cum D *hic dentis hos*, G et O cum reliquis plerisque solum *hic dentis* praebeant, persuasum nobis est V exhibuisse
hic
dentis *hos*, unde superscripta lectio in G et O transiret, cum id apographon, ex quo D fluxit, utramque lectionem reciperet.

Iam ut eorum quae dixi summam faciam, in crisi Catulliana codices G et O, quorum utrique sua est virtus, longe plurimum auctoritatis habent fidissimique ad reconcinnandam libri V memoriam, unde omnis emendatio proficisci debet, duces sunt. sed ad repraesentandam vetusti illius exemplaris imaginem ne recentiores quidem codices sine omni fructu adhibentur, praesertim cum V duplicibus scripturis confertus fuerit, quarum G multas, at non universas, O autem fere alteram utram tantum neque semper eam quae in G conparet aut in hoc libro primigenia est reciperet. consentiente autem librorum G et O testimonio etsi plerumque tuto licet colligere lectionem ab eis traditam in ipso textu codicis V exaratam fuisse, tamen nullam id exceptionem habere non praestiterim, videorque mihi supra unum saltem locum attulisse quo ambo superscriptam in V lectionem amplexos esse probabiliter sumitur. ceterum libros illos novicios in usum vocanti summa opus esse cautione per se intellegitur.

Unum est poema Catulli felici casu per multo antiquiorem quam G et O librum nobis traditum, carmen LXII, quod legitur etiam in notissimo codice Parisino Lat. 8071 sive Thuaneo (T), quem saeculo nono exeunti attribuunt. specimen scripturae eius dederunt Ellisius ad p. 100 ed. alt. et Chatelanius l. c. tab. XIV. cui codici vetusto maximam in recensendo epithalamio Catulliano auctoritatem esse consentaneum est. conparatis autem inter se libri T et exemplorum ex V deductorum locis lacunosis lectionibusque eis quae aliquid vitii contraxerunt facile perspicitur V et T sive, ut accuratius loquar, libri T eam partem quae Catulli c. LXII continet ex uno eodemque archetypo fluxisse. quod archetypon sunt qui in Gallia olim adservatum fuisse putent propterea quia anthologia carminum Latinorum quae libris Thuaneo et Sannazariano repraesentatur in illa terra videtur conposita esse. at tamen hoc ad istam opinionem probandam minime sufficit. quae plus sane firmamenti haberet, si verum esset quod Georgius Voigtius in libro qui inscribitur 'die Wiederbelebung des classischen Alterthums', t. II, p. 335 ed. alt. narrat, Servatum Lupum, doctum abbatem Gallum Ferrariensem saeculo nono viventem, cognita habuisse Catulli carmina. sed hic mirus error est confutatus a Schwabio Hermae t. XX, p. 495. itaque probabilius videmur statuere etiam archetypon librorum T et V in patria urbe poetae repositum fuisse.

Superest ut de ratione editionis nostrae paucis exponamus. cum recentior aetas tres tulerit carminum Catulli editiones adparatu critico instructas, Schwabii et Baehrensii in Germania, Ellisii in Britannia, cumque plurima codicum Catullianorum menda diu ita correcta sint ut de manu poetae nulla restet dubitatio, parum e re esse duximus in hac editione quaecumque praeter librorum fidem scripta sunt omnia adnotare, sed unam priorum editionum pro fundamento esse voluimus textui a nobis constituto elegimusque ut ad eam rem omnium maxime idoneam subtilem et circumspectam horum carminum recognitionem Mauricii Hauptii, quam in universum ex Lachmanni recensione pendere notum est. et quidem usi sumus editione eius tertia Lipsiae a. 1868 emissa, h. e. ultima quam ipse Hauptius curavit. ea ab altera, quae a. 1861 prodiit, conpluribus locis differt. velut in ipso carmine I lacunae olim cum Lachmanno statutae hic recte inprobatae sunt, versuique 9 derelicta libri D lectione signum depravationis est adpositum. cum tertia plerumque, sed non omnino consentiunt editiones quarta et quinta, quae post obitum Hauptii annis 1879 et 1885 prodierunt curatae ab Iohanne Vahleno. qui cum, ut par est, alienam operam nimium sui dissimilem fieri nollet, pauca tamen novavit sive spretam ab-

Hauptio librorum memoriam restituendo sive scripturam illi ignotam ex optimis fontibus recipiendo sive, quod rarissime factum, coniecturam vel suam vel aliorum inferendo. itaque nos in adnotatione critica fere eos tantum locos indicavimus quibus ab Hauptii editione tertia recessimus, argumentis nostris, sicubi necessarium visum est, paullo plenius expositis. nec omisimus nisi levidensia quaedam maximeque ea quae ad mutatam aliquotiens a nobis incolumi sententia distinctionem pertinent. interdum tamen etiam longius progressi coniecturae quam in ordinem verborum recipere noluimus illic mentionem fecimus aut locum nobis suspectum esse significavimus aut traditam scripturam contra mutationes dubitationesve recentiorum defendimus aut aliud aliquid quo crisi Catullianae prodesse videremur in medium protulimus. ceterum, etsi Hauptii recognitionem, ut diximus, huic editioni tamquam fundamentum substravimus, tamen nostro nos iudicio ubique stetisse unusquisque facile reperiet. et iam aucta interim artis criticae subsidia in causa fuerunt cur saepius ab illa recedendum esset. ad orthographica quod attinet, quamquam singula satis multa optimorum codicum nixi testimonio novavimus, tamen in universum rationes Hauptii non potuimus non adprobare. quem hoc maxime studuisse adparet ut paucis quorum et certior fides et insolentia minor esset e prisco scribendi more conservatis omnia quae horridam antiquitatem redolerent ab elegantissimo poeta procul haberet et fere verborum scripturam eam quae Augusti tempore in litteris Latinis valere inciperet repraesentaret. nam orthographiam Catullianam ipsam ex libris nostris recentibus multifariamque depravatis redintegrare velle omnino irritus labor est. quod si quis adgreditur, fieri non potest quin in litterarum apicibus rimandis saepe ludificetur meramque corruptelam pro vetustae scripturae vestigio habeat et Catullo obtrudat formas a voluntate τῶν νεωτέρων abhorrentes, id quod cum aliis tum maxime Baehrensio accidit. qua in re mirandum est quod, cum cupidius captent quae specie sua priscam scribendi consuetudinem indicare videantur, rursus sero natas pravissimasque formas, ut *siccine*, patienter tolerant. igitur diphthongo *ei* pro *i* longa positae, qua illi mirifice delectantur, ego nusquam locum concessi, neque c. XXXI 5 ex librorum depravatione *Thuniam atque Bithunos* eliciendum putavi, neque vero, etsi *quom* c. LXVI 79 et *devolsit* c. LXIII 5 et *volt* c. LXI 209 et *volturium* c. LXVIII 124 edidi, ubique *uo* vel *vo* pro *uu* vel *vu* ponendum duxi, quamquam Catullum constanter sic scripsisse extra dubitationem esse videtur. haec cum ita apud me constituissem, simulatque ad parandam hanc editionem accederem, tamen, cum nollem meo iudicio soli confidere, Fran-

ciscum Buechelerum per epistulam ea de re consului, qui mihi se idem sentire respondit addiditque sibi persuasum esse Catullum non scripsisse *ludei* et similia, eundemque, cum *zm* in initio *Zmyrna* nominis posuisset, quod quidem sibi certum videretur, vix putari posse non una cum isto z etiam y litteram recepisse; pro qua cum in sermone plebeio *u* soleret usque substitui, facile fieri potuisse ut hinc ea littera Graecae loco rursus in veterum codices irreperet.

Textui duos indices subieci, alterum nominum et rerum, alterum grammaticum. in quibus voces formasque coniectura restitutas ab eis quas codices tradunt distinxi, ita tamen ut simplices mendorum quae in his insunt correctiones iam pridem factas et ab omnibus deinceps editoribus receptas notare supersederem.

Recensione horum carminum diu absoluta et prolegomenis quoque maxima ex parte conscriptis Alexandri Riesii, post Aemilii Baehrensii in Catullum commentarius ad me perlatus est. Ludovici Schwabii nova poetae Veronensis recognitio Berolini a. 1886 emissa in manus meas pervenit, cum in eo esset ut hanc editionem typis describendam curarem.

ADNOTATIO CRITICA.

V = consensus librorum G et O = codex Veronensis nunc amissus.
G = codex Sangermanensis.
O = codex Oxoniensis.
ς = codices recentiores ab Italis interpolati, quorum unus est D = Datanus, alius L = liber olim Laurentii Santenii, quos duos nunc Berolinenses Lachmannus ad textum constituendum adhibuit.
T = codex Thuaneus.

Omnibus locis ubi nomina Lachmanni, Hauptii, Ellisii simpliciter adferuntur tenendum est editionem Lachmannianam primam, Hauptii tertiam, Ellisii alteram intellegi.

I 9 *qualecumque tuo, patrone, verbo* Guil. Froehnerus mus. Rhen. XIII 148, qui praeterea v. 8 *libellist* voluit sine necessitate. *qualecumque — maneat* dictum pro *quod, qualecumque est, — maneat*, quae breviloquentia nihil offensionis habet. conf. Tac. ann. XIV 55 s. in. *qualecumque quod patrona virgo* V, quod signo crucis adposito retinuit Hauptius. *qu. quod, o patrona virgo* vulgo de coniectura Italorum. sed cave ne eo modo manum Catulli restitutam putes. quae enim ista patrona virgo intellegenda sit plane obscurum est, nulliusque deae invocatio ab huius carminis ratione non abhorret. nam quod Schwabius ann. philol. CXVII 258 s. dixit ioco, non serio Minervam invocari, ea explicatio ex istis est quibus defendere omnia liceat. certe si constare sibi quam ineptire malebat poeta, non poterat non hanc efferre sententiam: 'tu, Corneli, nugas meas iam diu in pretio habuisti. quare nunc accipe hunc libellum, qui quamvis levis sit, tuo, clarissimi rerum scriptoris, patrocinio adiutus ad posteritatem perveniat'. huius sententiae necessitatem etiam alii perspexerunt, velut Handius quaest. Catull. p. 3 s., qui Raph. Eglinum secutus scripsit *qualecumque quidem, patrone, per te*, et Bergkius philol. XII 581 *qu. quidem est, patroni ut ergo* legendum censens. verum hae coniecturae in interpolata libri D scriptura *quidem* nituntur. ceterum non de deae alicuius, sed de Nepotis praesidio hic locutum esse poetam etiam imitatores eius produnt. Munro, cui et ipsi de traditae lectionis perversitate

persuasum est, critic. p. 5 hosce locos collegit: Martial. III 2 1 ss.: *Cuius vis fieri, libelle, munus? Festina tibi vindicem parare.* — — *Faustini fugis in sinum? sapisti.* — — *Illo vindice nec Probum timeto.* id. praef. l. VIII ad Domit.: *Omnes quidem libelli mei, domine, quibus tu famam, id est vitam, dedisti, tibi supplicant; et, puto, propter hoc legentur.* Statius in praef. l. II silv. s. f.: *Haec qualiacumque sunt, Melior carissime, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant.* quibus ego non sine fructu adicere mihi videor Ausonii XXIII Schenkel., quod carmen, cum totum in Catulliani carminis recordatione positum sit hisque verbis incipiat, '*Cui dono lepidum novum libellum?' Veronensis ait poeta quondam*, memorabile est sic terminari, *hic* (Pacatus) *vos* (versus) *diligere, hic volet tueri: Ignoscenda teget, probata tradet: Post hunc iudicium timete nullum*, XXVI 1, ubi itidem a primo primi carminis Catulliani versu profectus Ausonius inter alia haec addit, *misi itaque ad te haec frivola gerris Siculis vaniora, ut cum agis nihil, haec legas et, ne nihil agas, defendas*, XXVII 1, *tu facies, ut sint aliquid. nam sine te monosyllaba erunt vel si quid minus.*

II 7 † *et solaciolum* ego. *et s.* Hauptius cum Lachmanno. sed nomen substantivum pro subiecto ad *libet* additum ab usu sermonis abhorret. conf. Munro l. c. p. 6 s. *in s.* Itali fortasse recte.

II[a] tres hos versus a c. II, ad quod pertinere etiam cum Lachmanno Hauptius censuit lacuna post v. 10 statuta, praeeuntibus aliis seiunxi. illud enim concludi v. 10 mihi persuasissimum est, neque eis quae O. Harneckerus in progr. Friedebergensi a. 1879, p. 2 de contraria Hauptii sententia rettulit adducor ut aliter iudicem. verum cave eis adsentiaris qui hoc fragmento cum altero item trium versuum quod in libris post c. XIV 23 est coniuncto scitum poematium effecisse sibi videntur. immo inepta Catulloque indigna sic oritur conparatio, mirum in modum defensa ea ab Suessio l. c. p. 3. conf. etiam quae ad c. XIV[a] diximus. ceterum quod poeta suum gaudium cum Atalantae conponit, inde videtur colligi posse hos versiculos ad carmen pertinuisse in quo ille de aliquo in amore Lesbiae successu sive vero sive opinato ageret.

III 7 *ipsam* V, quod coniungendum cum *suamque.* conf. Buechelerus ad Petron. 63, p. 74, 20, Schwabius ann. philol. CXVII 259. *ipsa* ς non nulli, et sic Lachmannus Hauptiusque.

IV 20 *vocaret* codices (nisi quod *vocare cura* pro *vocaret aura* V). *vagaret* Hauptius de coniectura Lachmanni ad Lucr. III 628, quae tamen sententiae minime convenit. neque enim ventus incertus significatur. de potestate verbi quod est *vocare* vid.

Vahlenus in prooemio ind. lect. aestiv. Berol. a. 1882, p. 7. — 24 *novissimo* Itali. *novissime* V, et sic Lachmannus et Hauptius. sed haec lectio iam a R. Klotzio emend. Cat. p. X iure, etsi non satis commode, inpugnata. verba *cum veniret* — *lacum* manifestum est ad augendam phaseli laudem adiecta esse: quamquam longissimum iter inde a Ponto Euxino usque ad lacum Benacum emensus est, tamen numquam habuit cur deis navigationis praesidibus vota faceret, cum ne semel quidem in naufragii periculo versaretur. haec sententia necessario hic requiritur, eamque *novissimo* praestat, non *novissime*, quod mirifice insuper languet, aeque ac nude positum illud *a mari*. Munro p. 16 s. multus est in defendendo adverbio, sed frustra.

V 13 *sciet* aliquis Italorum. *sciat* V, et sic Hauptius cum plerisque. at illud orationi Catullianae magis convenit firmaturque carmine priapeo LII 12, ut recte iudicat Buechelerus mus. Rhen. XVIII 401. praecedens *sciamus* potest causa erroris fuisse.

VI 7 *ecquidnam tacitum? cubile* ego. *nequid quam tacitum cubile* O, *nequicquam t. c.* G, et sic cum plerisque Hauptius, nisi quod *nequiquam* reposuit. sed quo modo *tacitum* dici possit cubile cuius *argutatio inambulatioque* postea commemoratur non video. neque poeta, si, ut putatur, oxymoro hic uti voluisset, acumen eius infregisset *nequiquam* vocabulo addito. seiungendum esse *tacitum* a nomine quod sequitur non defuerunt qui perspicerent, sed prolata ab eis inprobabilia omnia, Baehrensiique commentum vix intellegitur. ego quod scripsi sententiae pariter et orationi satis facere existimo. ad formam orationis conf. c. LXXX 7. pronomina *ecquisnam* et *ecquinam* a librariis corrupta etiam XXVIII 6 et X 8. — 9 *et hac et illac* ego. conf. L 5. *et hec* (sscr. *hic*) *et illo* (sscr. *ille*) G. *et haec et illo* O. *et hic et ille* Lachmannus et Hauptius ex D. — 12 *iam tu ista ipse nihil vales tacere* scripsi. *nam inista* (*ni ista* G) *prevalet nichil tacere* V. *nam nil stupra valet, nihil, t.* partim de Scaligeri, partim de Lachmanni coniectura Hauptius, quem plerique recentiorum secuti sunt. verum illud *nam* si retinetur, interrogatio quae sequitur quid sibi velit non intellego. deinde *stupra* poetam ne per iocum quidem Flavii amores vocare potuisse credo. omitto alia. adparet autem Catullum transire hic ad novam sententiam, ad alterum furtivi amoris indicium: dixit de habitu cubilis, iam ad corporis habitum ipsius amici pergit, qui transitus non poterat non ipsa orationis forma significari. synaloepha in basi hendecasyllaborum saepius admissa est, ipsumque id quod coniectura in hunc locum intuli habes c. X 33. *valet* pro *vales* genus erroris haud rarum in libris Catullianis. vid. exempla a Munrone p. 27 collecta.

VII 3 *harenae* O. *arenae* Hauptius. — 4 *lasarpiciferis* V *laserpiciferis* Hauptius.

IX 1 *Verani* cum Ramlero recentiores plerique. *Veranni* V et sic Hauptius. at idem V in reliquis carminibus in quibus hoc nomen invenitur (XII 16. 17. XXVIII 3. XLVII 3) constanter n simplex praebet, eamque formam praeter codices Plinianos in nat. hist. initio, ubi Catulli c. XII respicitur, inscriptiones quoque et Pompeianae (v. Zangemeisteri ind. p. 232) et aliae, veluti Veronensis in C. I. L. V, 1, n. 3787, confirmant. ceterum sententia docet in hoc versu aliquid mendi subesse (in O deest praepositio). itaque signum crucis ei adposui. — 4 *anumque* Faernus. *sanamque* O, *suamque* (sscr. *sanam*) G, quibus in scripturis *s* nihil est nisi extrema vocis antecedentis littera falso huc tracta. *anus* adiectivi vicem obtinet etiam c. LXVIII 46 et LXXVII 10. *anum matrem* legitur apud Gellium III 15 4. *senemque* Hauptius cum Avantio.

X 9 s. *nihil neque ipsis Iam praetoribus esse nec cohorti* ego. *nihil neque ipsis Nec praetoribus e. n. c.* Lachmannus Hauptiusque, et sic vulgo. verum haec lectio ferri non potest, sive *ipsis* ad incolas Bithyniae sive ad praetores refers. libri misere hic corrupti. *nihil neque nec in ipsis Nec pr. e. n. c.* O, idemque vel similia reliqui. *nec* sine dubio per errorem e vicinitate etiam in initium versus 10 irrepsit. pro quo quod posui *iam*, optime id respondet eidem voculae in praegressa interrogatione *quid esset Iam Bithynia*, videturque vestigium eius servatum esse in illo *in* quod codices ante *ipsis* praebent. sententia manifesto haec est: Bithynia ad tantam redacta est inopiam ut iam ne ipsi quidem praetores, nedum cohors, aliquantum ibi lucri facere possint. haec generaliter dicta ad statum provinciae universum significandum: in eis quae secuntur poeta ad cohortem Memmii transit, in qua ipse fuerat. — 13 *nec faceret* O. *non* (sscr. *nec*) *faceret* G. *non faciens* Hauptius cum Gronovio. — 26 *Sarapim* e G et D restitutum a Schwabio. conf. Ellisii adn. crit. *Serapim* Lachmannus et Hauptius. — 27 signum lacunae post hunc versum ab Hauptio cum Lachmanno positum sustuli. — 32 *quam mihi pararim* suspectum. recte fortasse Statius *quam mihi paratis*, quod probavit etiam Munro l. c. p. 37. — 33 *et* V. *ac* Hauptius cum Lachmanno ex D.

XI 5 *Arabasve* ex O restitutum a Baehrensio. *arabaesque* G. *Arabesque* Hauptius. — 6 *sagittiferosve* V (*sagitiferos ve* O). *sagittiferosque* Hauptius.

XII 6 *Pollioni* V. *Polioni* Hauptius. — 16. 17 *Veranius* et *Veraniolum* V. v. ad IX 1. *Verannius* et *Veranniolum* Hauptius.

XIV 14 s. *continuo ut die periret Saturnalibus.* distinguendi

notam vulgo et ab Hauptio post *periret* positam sustuli. nam *continuo* non potest non adverbium esse, *die Saturnalibus* autem unam notionem efficit estque eodem modo dictum quo apud Plautum Poenul. II 49 *die bono Aphrodisiis*. ceterum in tollenda distinctione praeivit Klotzius emend. p. VI, sed is nec de universa forma orationis recte iudicavit et alterum quoque post *Saturnalibus* comma removit, qua in re invenisse eum qui adstipularentur miror. — 19 *Suffenum, omnia* distinxi. neque enim adducor ut *Suffenum* credam genetivum numeri pluralis esse. nam verba *omnia venena* generalem notionem continent qua etiam Caesii et Aquini conprehenduntur. *Suffenum omnia* sine distinctione Hauptius cum Lachmanno. — 21 parenthesis signa quibus Lachmannus Hauptiusque *valete* verbum incluserunt removi. conf. Klotzius l. c. et Ellisius in commentario.

XIV[a] fragmentum carminis haud dubie contra eos missi a quibus erat quod Catullus poesin suam vituperatum iri existimaret. conf. c. XVI. nam verba *manusque vestras Non horrebitis admovere nobis* necessario de infesta contrectatione intellegenda sunt; quae si fere idem significarent quam verba *lectores eritis*, praecedere ea, non sequi debebant. itaque vel hinc apertum quam inepte fecerint qui hos versiculos cum eis qui in libris post c. II sunt coniungerent.

XV 12 *ubi erit foris paratum* coniunxi veteres editiones secutus. *ubi erit foris, paratum* Hauptius cum Lachmanno. — 17 *a* Statius. *ha* O et G a pr. m. *ah* Hauptius.

XVI 8 *sunt* codices Plinii epist. IV 14 5. *sint* V, et sic Lachmannus Hauptiusque. — 9 *possunt* V. *possint* ς non nulli, Hauptius cum Lachmanno.

XVII 6 *Salisubsilis* Statius. *sali subsili* V. *Salisubsili* Hauptius cum Lachmanno.

XXI 3 *aut sunt* suspectum. conf. XXIV 2 s. *ante aut post aliis* Froehlichius. *aut posthac aliis* Handius. — 11 *a te mi* scripsi cum Munrone p. 50, nisi quod hic *mei* maluit (*a temet* Froehlichius). *ah me me* Hauptius cum Scaligero. *meme* vel *me me* V.

XXII 5 *palimpsestos* Baehrensius. *palmisepto* V, unde *palimpsesto* olim vulgo. *palimpsestum* N. Heinsius. *palimpseston* Hauptius de coniectura Lachmanni. — 7 *membrane* V, i. e. *membranae*, quod reduxi cum Munrone p. 50 ss. *membrana* Avantius, quem Lachmannus et Hauptius cum plerisque omnibus secuti sunt ita ut hanc vocem cum sequentibus verbis coniungerent. verum *membrana* nomen hoc loco non potest nisi tegumentum vel involucrum libri significare, verba autem *derecta plumbo* manifesto ad ipsas chartas papyraceas, quae plumbo notari solebant

lineis ad regulam ductis, referenda atque cum verbis *pumice omnia aequata* coniungenda sunt. hoc cum rectissime perspexisset Munro, in eo tamen erravit quod puncto post *membranae* posito verba *derecta* — *aequata* cum *haec* pronomine in v. 9 consociavit. etenim totius loci ratio demonstrat verbo *aequata* demum terminari enuntiatum. quare post *membranae* comma ponendum erat. ita orationem cum conformassem, vidi eodem modo Benoistium Munronis sententiae succurrisse (revue de philol., n. s. III 27). temerariis postea coniecturis locum temptavit Birtius ant. Buchwesen p. 69. *lora rubra* ego quidem indices sive *σιττύβους*, qui falso vulgo *σίλλυβοι* vocantur (v. Hauptius opusc. III 411), intellego. conf. Hesychius IV, p. 36 Schm.: *σιττύβαι* (fort. *σίττυβοι*)· *δερματίναι στολαί. τὰ μικρὰ ἱμαντάρια.* — 8 *derecta* Statius. *detecta* V. *directa* Hauptius. conf. Ellisii adn. crit. — 13 *tersius* Munro l. l., qui olim de antiquiore forma *tertius* cogitaverat. *tristius* V. *tritius* Lachmannus Hauptiusque cum Italis.

XXV 5 *mulierarios* Hauptius, quod retinui, cruce tamen adposita, nam locum difficillimum sic persanatum esse non credo. *ml'ŗaries* O. *mulier alios* G in textu. *cum diva Murcia atrieis o. o.* novissime Munro p. 63.

XXVI 1 *vestra* O. *nostra* G cum ς, Lachmannus et Hauptius. conf. Schwabius quaest. Cat. 154. 156 et Munro crit. 66.

XXVII 4 *ebrioso acino* scripsi Munronem p. 66 s. secutus. *ebriose acino* V. *ebriosa acina* Lachmannus Hauptiusque praeeunte Scaligero adducti eis quae Gellius VI 20 6 disputavit, cui loco plus aequo tributum in crisi Catulliana.

XXVIII 3 *Verani* V. *Veranni* Hauptius. conf. ad IX 1. — 6 post hunc versum signum lacunae posui unum hendecasyllabum excidisse ratus, ita ut verbum *expensum* ad alteram partem interrogationis nunc amissam pertineat. quod si, ut vulgo fit, cum eis quae in libris proxime antecedunt coniungitur, ad valde artificiosam inprobabilemque interpretationem confugiendum est (conf. Ellisii commentar.). sine dubio poeta ex amicis simpliciter quaesiverat utrum lucri aliquid in Pisonis provincia fecissent an, ut ipse in Memmii, plus expendissent quam accepissent. conf. c. X 8. neque video, nisi ita fere interrogasset Catullus, quo modo v. 12 pergere potuisset his verbis: *sed, quantum video, pari fuistis Casu.* ceterum quid requireretur hoc loco iam Clumperus miscell. phil. et paed. II 147 intellexerat, quamquam coniectura parum felici usus.

XXIX 8 *haut idoneus* Silligius. *aut ydoneus* V. *aut Adoneus* Statius, qua coniectura Hauptio cum plerisque probata manum poetae restitutam esse numquam persuadere mihi potui. conf. nunc Munro p. 96 s. et 109 s. — 13 *diffututa* Itali. *diffutura* V.

defututa Hauptius de coniectura Lachmanni. — 20 *et huicne Gallia et metit Britannia?* scripsi Munronem p. 101 et 110 secutus, cuius coniectura me iudice reliquis omnibus longe praeferenda est, modo *metit* substituatur pro eo quod ille voluit *metet.* nam praesenti tempore opus esse cum alia tum ea quae v. 3 et 6 dicuntur docent, unde initium certe direptionis iam factum esse adparet. nec possunt futura in versibus 5 7 9 opponi, quorum alia ratio est. *hunc gallie timet et britannie* V. *timete Galliae*, *hunc time Britannia* Hauptius post Lachmanni *time Britannia*, *hunc timete Galliae*, quae coniecturae plus una de causa reiciendae sunt. — 23 s. *eone nomine*, *urbis o putissimi*, *Socer generque*, *perdidistis omnia?* scripsi et distinxi. *e. n. urbis opulentissime* (*oppulentissime* O) *S. g. p. o.* V. *e. n. orbis*, *o piissimi S. g.*, *p. o.?* Hauptius partim Lachmannum secutus. verum *omnia* absolute positum fuisse docet parodia Vergiliana epigr. III 6 (qua tamen cavendum ne cum Baehrensio ad mutandum traditum a libris Catullianis verborum ordinem *socer generque* abutamur, quem unum verum esse totum carmen clamat), *ut ille versus usquequaque pertinet* '*Gener socerque*, *perdidistis omnia.*' atque quam convenienter usui istorum temporum id dictum sit, exempla a Munrone p. 103 collecta ostendunt. accedit quod genetivus quinque vocabulis ab eo ex quo pendere putatur separatus sane displicet. denique, qui aequabilitatis studium poetae reputabit, ei vix dubium videbitur quin, ut v. 11, ita hic quoque verba *eone nomine* statim ipsa conpellatio exceperit. itaque *urbis o putissimi* scripsi et coniunxi, quo nihil puto aut ad rationem totius carminis aptius aut librorum memoriae propius offerri, potuitque priscum adiectivum, quo tamen praeter Varronem etiam Cicero usus est ep. ad Att. II 9 1, postquam plane obsolevit, facillime in id quod codices praebent corrumpi. neque vero coniecturae huius probabilitas eo imminuitur quod Caesar illo quo c. XXIX scriptum est tempore non Romae, sed in Gallia degebat. conf. Horat. epist. I 20 23. ceterum iam L. Muellero *o putissimei* aliquando in mentem venisse ex eius praefat. p. XVIII vidi.

XXX 1 *Alfene* plerique recentiorum secundum titulos. *Alphene* V, Lachmannus, Hauptius. — 4 et 5 ab Hauptio cum Lachmanno in finem carminis traiectos huc revocavi. quibus illic minime aptum locum esse ob repetitam ac debilitatam priorum versuum sententiam recte L. Muellerus adnotavit, perspicueque v. 12 clausulae speciem prae se fert. *nec* in v. 4 pro *non* antiquo more cum pondere positum (conf. Ribbeckius partic. Lat. p. 24 s. Munro crit. p. 114 et ad Lucret. II 23). — 5 *quod* L. Muellerus. *que* V. *quae* vulgo, et ita Hauptius.

XXXI 8 s. *peregrino labore* nihil offensae habet. conf. Munro crit. 115. — 13 *vos quoque*, *incitae* Heysius, cuius coniectura etsi certa non est, ceteris bonitate praestat. *vos quoque lidie* (*lydie* G) V. *vosque*, *o Libuae* Hauptius de Italorum et Lachmanni coniecturis. sed *quoque* ad sententiam aptissimum utique servandum est, neque illud *Libuae* per se multo plus commendationis habet quam quod vulgo scribitur *Lydiae*.

XXXII 1 *Ipsitilla* Buechelerus ad Petron. p. 74. *ipsi illa* O. *ipsithila* G. *Ipsithilla* vulgo, et ita Hauptius. — 4 erat cum Turnebi illud *adiubeto* probarem: nunc in tradita lectione libens adquiesco. *adiuvato* idem fere est atque *da operam* (conf. Poenuli Plaut. prol. in fine), adparetque ad hoc verbum ea quae a v. 6 secuntur multo aptius sese adiungere.

XXXV 3 *Novi* vulgo. *novi* Hauptius.

XXXVI 9 *hoc* libri. *haec* Hauptius cum Italis. — 12 *uriosque* (*utriosque* sscr. *uriosque* G) *apertos* V, quod cum Lachmanno retinui, cruce tamen adposita. *Uriosque portus* N. Heinsius, quem et Hauptius et alii secuti sunt. sed haec coniectura, quam ipse Heinsius argumentis confirmare supersedit, quid commendationis habeat equidem non perspicio. nam de Calabriae urbe Uria sive Hyria ut in mediterraneis inter Brundisium et Tarentum sita cum cogitari omnino non possit, non relinquitur nisi Urium, πολισμάτιον, ut Strabo VI, p. 284 dicit, Apuliae in ora maris Hadriatici situm. at Venerem ibi templum habuisse non magis, quod sciam, memoriae proditum est quam Uriae, neque vero deae in isto oppidulo cultus cum celeberrimis eius religionis sedibus quae ante et post memorantur apte consociaretur. accedit quod pluralis numerus *portus* non sine offensione est. denique librorum scriptura *apertos* per se nihil suspecti habet, neque veri simile est hoc adiectivum per errorem ex *portus* vocabulo ortum esse. quae cum ita sint, mendosam codicum lectionem in praesens servare quam coniecturam specie fallentem recipere malui. aliquanto probabilius ac fortasse recte Bergkius philol. XXX 682 *Chytrosque apertos* suspicatus est. nam ad Isaaci Vossii inventum *Syrosque apertos* non nullis editoribus probatum quod attinet, displicet nomen populi urbium nominibus immixtum, neque Venus *colere Syros* eadem ratione qua Syrorum urbes dici potest. — 13 *harundinosam* G. *arundinosam* Hauptius. — 15 *Hadriae* V. *Adriae* Hauptius.

XXXVII 2 *pilleatis* O, G a. m. pr. *pileatis* Hauptius. — 10 *ropionibus* R. Peiperus mus. Rhen. XXXII 523 adsentiente M. Hertzio ann. philol. CXVII 254. *sopionibus* V. *scorpionibus* ς non nulli, Lachmannus, Hauptius. nititur coniectura a me recepta versu illo in Pompeium facto quem Marius Plotius

(M. Claudius) Sacerdos art. gramm. I, p. 461 s. K. inter asteismi per similitudinem exempla adfert explicatque hoc modo: *et illud de Pompeio, qui coloris erat rubei, sed animi inverecundi, 'quem non pudet et rubet, non est homo, sed ropio'. ropio autem est aut minium aut piscis robeus aut penis.* conf. de hoc versu deque voce ropionis Hauptius opusc. III 325 et Buechelerus mus. Rhen. XXXV 399 s. in producta a Catullo syllaba prima non offendet qui Lachmanni ad Lucr. I 360 disputationem novit. ceterum mucro rei parum adhuc perspectus. nimirum poeta verbis *namque — scribam* quo modo irrumationem quam tantae rivalium multitudini minatus est effecturus sit declarat: 'licet centum an ducenti sitis, omnes una irrumabo eo ut magnum numerum obscenarum figurarum in fronte tabernae vestrae adpingam'. errat autem aperte Hertzius, qui eandem vocem Petronio quoque sat. 22 init., ubi *sopitionibus* in libris est, restituendam, magis vero etiam F. Schoellius, qui ann. philol. CXXI 488, n. 30 et 495 s. veram eius formam *sopio*, non *ropio* esse opinatur.

XXXIX 11 *pinguis* glossae Vaticanae in Maii classic. auctor. VII 574 (conf. Persius III 74 *pinguibus Umbris*). *parcus* V male, neque enim dubium quin Umber quoque, sicut Etruscus et Lanuvinus, epitheto de corpore sumpto notatus fuerit. *fartus* Venator, quem Hauptius secutus est. sed hoc reliquis commentis vix probabilius.

XL 5 uncis inclusi ut adulterinum. nam verba *quid vis?* cum optime continuentur duabus interrogationibus a v. 1 et 3 incipientibus, omnem amittunt vim versu 5 interposito, isque ipse nec bene cohaeret cum praegressa oratione et sententiam verbis *qua lubet — optas?* expressam praeoccupat. ceterum codices contra metrum *an ut perveniamus in o. v.* itaque non dubito quin haec verba, cum primitus ad v. 6 interpretandi causa adscripta fuissent, postea per errorem in ipsum carmen irrepserint.

XLII 13 *facit* scripsi, quod post vidi iam ab Halbertsma inventum esse mnemosynes n. s. V 335. *facis* codices et editiones omnes. at puellam non ab ipso poeta conpellari cum v. 21, tum ratio totius carminis demonstrat. hendecasyllabos enim suos tamquam ministros foras mittit Catullus, ut pro se rem gerant, eosque, postquam primum impetum non successisse intellexit, ad novum adhortatur. lectio librorum, qua manifesto turbatur egregium poema, facili errore ex praegressis imperativis oriri potuit, quemadmodum v. 14 quoque in V falso secunda persona verbi pro tertia posita est. restat ut etiam sonum perquam ingratum emendatione a me recepta tolli dicam.

XLV 8 s. hunc locum iam antiquo tempore corruptum ex v. 17 s. male resartum esse iudico. illic enim verba *sinistra ut ante* cum aptissima sint, hic explicari probabiliter nequeunt. docet autem v. 17, ut mihi quidem videtur, Amorem Septumio suos erga puellam sensus declarante a sinistra parte adnuisse. unde intellegitur non modo verba *ut ante* v. 8 vitiosa, sed ne vocabulum *dextra* quidem v. 9 sanum esse. itaque bis signum crucis adposui. adparet autem amantes in eo quod deus primum sinistra, deinde dextra, h. e. utrimque, adprobationem sternuit, faustissimum mutui amoris omen adgnoscere.

XLVII 3 *Veraniolo* V. *Veranniolo* Hauptius. conf. ad IX 1.

LII 3 *perierat* V. *peierat* vulgo, et sic Hauptius.

LIII 5 *salaputium* vulgo, quod cum Hauptio servavi, quamquam apud Senecam controv. VII 4 (19), p. 332 Kiessl., unde librorum Catullianorum depravationi auxilium venit, optimi codices *salaputtium* praebent. sed conf. C. I. L. VIII, n. 10570 extr. et Buechelerum mus. Rhen. XXXVII 529 s.

LIV 1 *Otonis* V. *Othonis* Hauptius. — *est* post *oppido* scriptum in V, quod servavit Hauptius, cum Scaligero aliisque delevi. — 2 *et eri* (*et eri* sscr. *h* G) V, quod addita cruce retinui, itemque Hauptius, nisi quod *et heri* ex ς recepit. ut enim nomen proprium hic latere pro certo potest haberi, ita omnis eius restituendi conatus in tanta obscuritate inanis est. — 3 lacunas a Lachmanno et Hauptio post hunc versum et ante extremos duos indicatas contra eos qui aut de integro carmine cogitant aut fragmenta aliter disponenda esse arbitrantur plane adprobo, nisi quod priore loco plus uno hendecasyllabo excidisse mihi videtur, id quod duplici punctorum ordine significavi. conpellationem Caesaris continuisse versus hic amissos apertum est.

LV 2 *demonstres* V. *demostres* ex DL Lachmannus et Hauptius. — 4 *libellis* sanum esse vix adducor ut credam. quod cum non videatur nisi de tabernis librariis posse intellegi (Ellisii certe aliter id explicandi conatus infelicissimus), tamen, ne eodem modo quo Graecorum *ἐν τοῖς ἰχθύσι* et similia dictum putemus, additum *omnibus* inpedit. — 9 *a* V. *ah* Hauptius. — de voculis *vel sic* pronomine separatis conf. Munro crit. 130. — 11 *reduc* V. *reduce* Lachmannus Hauptiusque ex D. ceterum cum eisdem ab explenda versus lacuna omnino abstinendum putavi. — 14 ab Hauptio cum Lachmanno post v. 32 conlocatum suo loco reddidi. neque enim decem illos versus qui in codicibus carmini LVIII adhaerent post v. 13, ut vulgo fit, sed cum Schwabio post 14 demum inserendos censeo. versus 32 et 14 non fuisse continuos molesta admodum quae coniunctis eis oritur vocabuli *amice* repetitio docet, docet etiam ingratissimus

sonus verborum *quaeritando tanto* vicinitate effectus. — 25 ante 24 conlocavi cum Mureto aliisque. — 26 *nivea citaque biga* Handius. *nivee citeque bige* vel similia libri. *niveae citaeque bigae* vulgo, et sic Hauptius. *e* littera haud raro pro *a* scripta in codicibus Catullianis, velut c. XI 7 *que* pro *qua* G aliique, LXIII 89 *fecit* pro *facit* tantum non omnes praebent. — 22 *nostri sis* libri, nisi quod O *vestri*, G *ve* (sscr. *no*) *stri* habet. v. Westphalium p. 224 s. rectissime de huius lectionis veritate disputantem. conf. etiam Ellisius in adnot. crit. et in commentario p. 155. *vostri sim* cum Scaligero Lachmannus et Hauptius.

LVII 6 *gemelli* codices, quod deleta cum Heysio quae vulgo post *pariter* ponitur interpunctione satis, ut videtur, defensionis habet, reduxitque iam Vahlenus in Hauptii editione quarta. conf. disputata ab eo in prooemio ind. lect. Berol. aest. a. 1880, p. 4. *tenelli* Hauptius. — 7 *lecticulo* O solus, Baehrensius. conf. Munro crit. 131 s. *lectulo* reliqui libri, et sic Hauptius.

LIX 1 *rufa Rufum io* scripsi. *rufa rufum* V. *Rufa Rufulum* Lachmannus et Hauptius cum Italis. de cuius coniecturae veritate iam Westphalius p. 137 aliique iure dubitaverunt. prior vox si pro epitheto accipitur, aliquid acuminis versui accedere apertum est. conf. Munro crit. 134. nominis vero quod est *Rufus* deminutio rationi carminis vix apta.

LX 5 *a* (coniunctim scriptum cum voce quae sequitur) V. *ah* Hauptius.

LXI 21—25 quando in stropha quae antecedit sponsa cum Venere conparata est, et quidem cum Venere qualis in certamine pulchritudinis Paridi iudici conspiciendam sese obtulerat, quaevis nova conparatio ad pulchritudinem Viniae efferendam instituta admodum languida est. accedit quod inter priorem cum Venere et posteriorem cum myrto conparationem verba quaedam interposita sunt quae non ad formam, sed ad ingenium moresque Viniae spectant. quodsi reputo ne singula quidem offensione vacua esse, cum v. 23 addita ad Hamadryadum nomen vox *deae* communi veterum de hoc genere nympharum opinioni minime conveniat (nam Nonnum qui Dionysiac. XXII 118 Ἀμαδρυάδος δὲ θεαίνης dixit non curo), v. 25 autem metrica licentia inveniatur nusquam alibi admissa, suspicionem interpolatae strophae mihi moveri fateor. — 68 *nitier* Avantius. *vities* O. *vicier* G. *cingier* Hauptius cum Schradero. — 86 s. *Aurunculeia* O. *Arunculeia* G cum reliquis plerisque, et ita Hauptius. — 98 *vide ut* Itali. *viden ut* libri. *viden?* post alios Lachmannus ad Lucr. III 954, cui obsecutus est Hauptius. conf. L. Muelleri praef. XXI. — 127 *iocatio* Nic. Heinsius. *locacio* O. *lotatio* (in marg. *al. locutio*) G. *locutio* reliqui codices plerique,

Lachmannus, Hauptius. — 134 *Talasio* V. *Talassio* Hauptius. — 139 *a* (coniunctim scriptum cum voce quae antecedit) O. *ah* G cum reliquis plerisque, et sic Hauptius. — 156 *en tibi domus* vulgo. *en tibi, domus* Hauptius. — 158 *sine serviat* Bernh. Pisanus. *sine servit* V. *sine fine servit* D. *sine fine erit* Lachmannus Hauptiusque cum Avantio, parum apte, ut insequens stropha ostendit. — 186 *viris* Statius. *unis* V. *bonis* Hauptius cum Passeratio, quod cave ne v. 19 similibusque exemplis commendari putes. — 196 s. parenthesis signa quibus Hauptius praeeunte Lachmanno verba *ita — caelites* inclusit removi cum Vahleno. — 198 *pulcer* Schwabius aliique (*pulcre res* pro *pulcer es* V). *pulcher* Hauptius. — 204 *cupis cupis* O et teste Bonneto G quoque a manu prima, quod post Baehrensium Vahlenus quoque recepit. *cupis capis* G a manu secunda ceterique libri, Hauptius.

LXII 35 *Eous* Schraderus. conf. Cinna fragm. 8, p. 88 L. Muell. *eospem* T. *eosdem* reliqui libri, Lachmannus, Hauptius. — 36 *lubet* veteres editiones. conf. XV 11. *adlucet* pro *at lubet* T. *libet* V, sicque Hauptius. — 42 parenthesis signa quibus Lachmannus et Hauptius hunc duosque insequentes versus a reliqua oratione separaverunt removi, qua in re cum aliis praeivit Vahlenus. idem in v. 53—55 cadit. — 64 *tertia pars patri, pars est data tertia matri* Avantius. *tercia pars patri est data tercia matri* O. *tercia pars patri data pars data tercia matri* G. *tertia patris pars* T in ceteris cum O consentiens. unde *tertia pars patrist, pars est d. t. m.* Hauptius. at verbum substantivum in priore versus parte incommodum.

LXIII 5 *ili acuto sibi pondera silice* scripsi partim cum Bergkio (nisi quod hic *ilei* maluit) partim cum Avantio. *iletas acuto sibi pondere silices* V. *ile* cum Lachmanno, deinde de sua coniectura *a. s. rodere silicis* Hauptius. sed posterius hoc solutae orationi magis quam carmini convenit, *ile* autem etsi per se eodem modo quo *inguen* de pudendis dici posse concedimus, tamen negamus id sic fieri posse ut propria istius vocis significatio prorsus obscuretur. *ili* (i. e. *ilii*) *pondera* egregie confirmatur locis Petronii 92 et Martialis VII 35 4, quos conparavit Schwabius ann. philol. CXVII 264. conf. etiam Ovid. fast. IV 237 ss., quos versus cum scriberet poeta, locum nostrum animo eius obversatum esse recte contendit Munro crit. 141. de origine monstruosae in V corruptelae *iletas* non inprobabilis est suspicio Ellisii in adn. crit. ad h. l. — 18 *aere citatis* vetus coniectura Lachmanno Hauptioque probata, quam retinui, etsi invitus, non quidem ob ionicum a minori, quem iniuria a galliambis Catulli abiudicari censeo, sed quia duo isti ablativi quorum alter ex altero pendet sublimi sono huius carminis parum convenire mihi

videntur. multo autem minus etiam Avantii illud *erae citatis* adprobo, quod non nullis placuisse miror. *io citatis* Baehrensius fortasse recte. *crocitatis* G. *erocitatis* O. — 34 *secuntur* O. *sequuntur* Hauptius. — 56 *derigere* Baehrensius. *dirigere* V, et sic Hauptius. — 61 *a* Schwabius aliique. *ha* O. *ah* G, et ita Hauptius. — 62 *obierim* Statius. *abierim* V. *habuerim* Scaliger, quem cum Lachmanno Hauptius secutus est, male. nam habuisse se omnia genera figurae Attis dicere nullo modo potest, sive priorem vitae condicionem sive praesentem respicit. — 63 ab Hauptii ratione interpungendi ita recessi ut neque post vocem *puer* terminari orationem sinerem et comma inter *mulier* et alterum *ego* positum tollerem. *ego mulier* esse *ἐγὼ ἡ γυνή* recte dixit Wilamowitzius Hermae XIV 198 n. — 74 *sonitus citus abiit* scripsi partim Bentleium, cui *citus* debetur, partim veterem correctorem secutus, praeivitque in loco sic constituendo Ellisius. conf. v. 42. *sonitus adiit* manco versu V. *sonitus abiit celer* Hauptius cum Lachmanno, qui cum v. 14 extremo vocem *celeri* in codicibus exulare videret, eam ad reficiendum hunc versum adhibuit. sed adiectivum illud a v. 1 aberrasse veri multo similior suspicio est Baehrensii. Bentleii complemento nullum certe probabilius. — 75 *auris* (coniunctim scriptum cum praepositione) O. *aures* reliqui libri, et ita Hauptius.

LXIV 16 *illa, nulla alia* scripsi. *illa alia* O. *illa atque alia* G cum reliquis plerisque, quod pro infelici conatu subveniendi metro habendum est. *nulla* post *illa* quam facile excidere potuerit apertum est. ceterum tale additamentum quale est *nulla alia* supervacaneum esse et languidum non iudicabit nisi mythologiae ignarus. *illa, siqua alia* Hauptius e coniectura Lachmanni. — 23ª dubitari non potest quin in amissa huius versus parte aliquod adiectivum positum fuerit quod ad *matrum* pertineret, quae vox epitheto destituta mirum quantum languet. itaque veri simile est Catullum dedisse *salvete iterum, salvete, bonarum.* atque tertium *salvete* intercidisse Hauptius suspicatus est (v. eius opusc. I 32 et II 76 s. cum adnotatione editoris), *bonarum* autem post Peerlkampium nuper Munro quoque (crit. 144, conf. 148) in fine versus addendum esse coniecit. — 28 *pulcerrima* Ellisius (*pulcerima* O). *pulcherrima* vulgo, et sic Hauptius. — 41 ante v. 39 conlocavi, postquam Ramlerus et Ritschelius (opusc. III 600) eundem ante v. 40 traiecerunt. quos ne omni ex parte sequerer eo prohibitus sum quod ad arationem aptius ab oblaqueatione vinearum quam a frondatione arborum transitur eaque convenientia ab ipsis libris adgnoscitur. vulgatum versuum ordinem servavit Hauptius. — 57 *harena* O aliique. *arena* G, et ita Hauptius. — 61 *eheu* Bergkius. *heue* V. *euhoe* Italos secuti Lachmannus Hauptiusque, quod non video qui huic loco aptum

sit. — 64 *velatum* ferri posse non adducor ut credam. nullam persuadendi vim habet A. Biesii in mus. Rhen. XXXVI 323 s. disputatio. itaque crucem adposui. quid autem a concinnitate fere requiratur docet flavi verticis et lactentium papillarum in vicinis versibus commemoratio. — 71 *a* codices Nonii p. 108 M. *ha* O. *ah* G, et sic Hauptius. — 100 *quam tum* Faernus. *quanto* codices, et ita Hauptius. conf. Ritschelius opusc. III 594 s. — *fulvore* Ritschelius ibidem. conf. S. Buggius annal. philol. CV 98. *fulgore* V, Hauptius. — 107 *indomitus turbo* V, quod iam Vahlenus reduxit. *indomitum turben* Hauptius e coniectura Spengelii, quae in dubio Servii ad Vergil. Aen. VII 378 testimonio et aeque dubia libri D scriptura *indomitum* nititur. conf. Sydovius de recens. Cat. carmin. 73 s. — 108 *radicitus* V. conf. 288. *radicibus* ς non nulli, Lachmannus, Hauptius. — 135 *a* L. Muellerus. *ha* O. *ah* G, et ita Hauptius. — 139 *blanda* O cum ς paucis, idemque in margine adscriptum habet L. et vulgata erat haec scriptura in editionibus ante Scaligerum. *nobis* G cum reliquis. quae lectio Lachmanno, Hauptio, Vahleno, aliis probata ac multis nuper a Sydovio l. c. 38 ss. defensa non dubito quin falsa sit, quippe qua, ut alia nunc mittam, egregium duplicis epanaphorae artificium pereat. quis est enim quin verba *non haec* — *non haec* — *sed* — *sed* accurate sibi respondere videat? haec concinnitas, in qua omnis vis orationis posita est, deletur, si recepta scriptura *nobis* pronomen *mihi* in v. 140 ad alterum enuntiatum trahi oportet. neque vereor ne quis v. 136 s. opponat, cuius loci non plane eadem ratio est. tenendum est autem omnino cum in toto epyllio tum in concitatis istis Ariadnae querellis summae poetam aequabilitati orationis studuisse. conf. praeterea v. 132—135. 143—144. 145—148. 154—156. 186—187. miram primo adspectu lectionis varietatem ita ortam puto ut, cum in vetere aliquo codice adiectivum *blanda* excidisset, quod post *quondā* facile fieri potuit, manco versui nescio quis inserto pronomine *nobis* subveniret, idque postea una cum genuina scriptura in V transiret, in quo haud raro discrepantes lectiones adscriptas fuisse certum est. — 140 *misera* Baehrensius, quod a congruentia aequalitateque orationis commendationem habet, bene enim sic *haec promissa* — *haec misera* — *conubia laeta* sibi respondere adparet. *misere* V. *miserae* vulgo, et sic Hauptius. at verbum iubendi a Catullo cum dativo coniunctum esse nullo modo credibile est. — 148 *meminere* Iulius Czwalina, quod post L. Muellerum et Baehrensium Vahlenus quoque in ordinem recepit. *metuere* codices, et ita Hauptius. mendi origo manifesta. — 174 *increta*, i. e. *in Creta* O cum D. *in Cretam* G cum reliquis plerisque, Lachmannus, Hauptius. quam lectio-

nem immerito defendit Sydovius p. 49. — 178 *Idomeneosne* Itali. *Idoneos ne* O aliique. *Ydoneos ne* sscr. *Idmoneos* G. *Idomeneusne* Lachmannus ad Lucret. p. 192, quem Hauptius secutus est. — *a* (coniunctim scriptum cum voce quae sequitur) V. *ah* Hauptius. — 179 Italorum coniectura *discedens* pro *discernens* cum Hauptio probata ita ab eius editione recessi ut et *ponti* ex O, quocum Dresdensis facit, pro reliquorum codicum scriptura *pontum* adsciscerem et post *truculentum* traditam ab omnibus libris voculam *ubi* cum Bernh. Pisano delerem; de cuius origine verum videtur vidisse Ellisius in adn. crit. — 196 *me miseram* scripsi. neque enim ullo modo potest dubitari quin Ovidius fast. III 486, cum Ariadnam sic querentem faceret, *me miseram, quotiens haec ego verba loquar?*, morem Alexandrinorum poetarum secutus (conf. Diltheius de Callim. Cydippa p. 109) locum hunc Catullianum significare voluerit, quemadmodum paullo ante (v. 473 et 475) eiusdem epyllii v. 132 ss. et 143 s. lectoribus suis in mentem revocavit. conf. Hauptius opusc. II 71 s. *ve misera* V. *vae miserae* ex D Lachmannus Hauptiusque, quod num ferri omnino possit non addito *mihi* pronomine vehementer dubito. — 205 *quo motu* Heysius. *quom tunc* V. *quo tunc et* olim vulgo, et ita Lachmannus, Hauptius. — 234 *antemnae* Baehrensius, quam formam in V a prima manu scriptam fuisse ex depravatione in O et G conspicua videtur colligi posse. *antennae* reliqui editores. — 237 *adgnoscam* ego. *agnoscam* V, Hauptius. — 249 *tum prospectans* cum vetere correctore Schwabius. *tamen prospectans* V. *tamen aspectans* G a manu secunda cum reliquis plerisque, Lachmannus, Hauptius (nisi quod hic *adspectans*). — 270 *proclivis* Baehrensius ex O, qui *proclivit* exhibet, sed ita ut ultima littera expuncta *s* superscriptum sit. *proclivas* reliqui libri, Hauptius. — 271 versus difficilis intellectu, sive *sub limina* sive *sub lumina* legimus (*sublimia* V) mihique eam quoque ob causam suspectus quia praegressa voce *matutino* nihil novi sententiae addere videtur. — 273 *lenes resonant* scripsi. *leviter sonant* G cum reliquis plerisque. *leviterque sonant* O. *leni resonant* Lachmannus Hauptiusque e libro Cuiaciano. verum non ad verbum plangoris, qui qualis significetur ex v. 272 satis cognoscitur, sed ad cachinnorum adiectivum aliquod requirimus quo undarum sonos clementi zephyri flatui respondere declaretur. praeterea *lenesresonant* (sive *lenisresonant*) facilius quam *leniresonant* in *leviter sonant* corrumpi potuisse adparet. conf. *proclivit* in O scriptum v. 270. — 275 *ab* V. *a* D aliique, Lachmannus, Hauptius. — 276 *sic tum* Itali. *sic tamen* O. *sic tamen* sscr. *tibi* G teste Bonneto. *sic tibi* D aliique. unde *sic ibi* Hauptius. — *vestibuli* vix sanum. conf. v. 47 s. et

293 s. *vestibulis* Schraderus. — 280 *quoscumque* Aldinae. *quoscunque* Hauptius. *quodcumque* (*quodcunque* G) V. — 287 *caris* scripsi, ita ut notissima nympharum saltandi voluptas significetur. *doris* V, quod frustra nuper defendit Roscherus annal. philol. CXXI 786 s. *crebris* Hauptius e coniectura Lachmanni, quod mihi quidem satis languidum videtur. — 296 *silici* codices, quod ferri cum possit, reducendum putavi cum Ellisio et Vahleno, quamquam eam manum poetae esse non praestiterim. sed e coniecturis adhuc prolatis nulla mihi satis facit. *Scythicis* N. Heinsius, quem Hauptius secutus est, *in Scythia* Schwabius, *triplici* Baehrensius. — 300 *Idri* vix sanum. *ydri* V. Ellisius fortasse *Iri* scribendum putat, quae fuit urbs Maliensium. — 309 *roseae niveo* A. Guarinus. *roseo niveae* Lachmannus, Hauptius secundum libros. verum utut hanc lectionem explicando tueri conaris, falsam eam esse iam *at* particula demonstrat, quam non posuisset poeta, nisi candidae vesti parcarum diversi coloris vittas opponere voluisset. ceterum plane idem vitium v. 31 O contraxit. — 320 *vellentes* L. Fruterius. *pellentes* V. *pectentes* Statius, quem Hauptius secutus est. — 324 *nato* suspectum. ceterum non *clarissime*, sed *carissime* V. — 330 *tibi flexanimo mentem perfundat amore* Muretus. *tibi flexo animo mentis perfundat amorem* G cum reliquis plerisque (in O versus deest). *te flexanimo mentis perfundat amore* Hauptius de coniectura Lachmanni. — 334 *contexit* V, quod vix est cur spernatur, revocaruntque iam Ellisius et Vahlenus. *conexit* Hauptius de coniectura Lachmanni. sed ita praeoccupatur sententia subsequenti versu elata. — 350 inter verba *cum* et *canos* vacuum locum relinquere malui quam *in cinerem* ex D aliisque ς cum Lachmanno Hauptioque adsciscere. nam *in cinerem solvere crines* Latinum esse non adducor ut credam. *inciuium* G cum parte reliquorum. *inciuos* O, quod ab eadem manu in *inciuum*, ut videtur, mutatum est. fuit cum Baehrensii coniecturam *incultum cano solvent a vertice crinem* (*crimen* O) certam putarem: nunc male ea adiectivum quod est *canus* a crinibus ad verticem transferri video. conf. Ovid. metam. XIII 427, quem locum apte contulit Ellisius in adnot. crit. — 361 post hunc versum quaedam excidisse censet praeeunte Froehlichio L. Muellerus, fortasse recte. quamquam necessitatem statuendae lacunae illud *denique* v. 362 vix inponere videtur. — 378 e longo tempore suspectum uncis inclusi. — 387 *residens* Baehrensius. *revisens* libri, quod ex v. 376 huc irrepsisse videtur, et sic Hauptius. — 392 s. adsentior eis qui haec cum verbis praegressis apte consociari ad Bacchumque referri posse negant. sed ipsa sententiae conformatio cum non ea sit ut L. Muelleri coniecturae faveat lacunam post v. 391

statuentis (quod ilico sentiet qui quaenam fere verba excidere potuerint secum reputat), magis eo inclino ut v. 393 mendum subesse suspicer. atque idem suspicatus est N. Heinsius, cum pro *laeti divum* fortasse *Latonigenam* sive potius *Laetonigenam* (sic enim ipse) scribendum esse putaret; quod cum per se egregium sit, non dubitarem adsumere, si paullo propius abesset a litteris traditis. quamquam nomina propria vel cum nomine proprio conposita depravationi coniunctae fere cum interpolatione magis aliis exposita esse solent. an scripserat poeta *Phoebum* pro *divum?* — 402 audacter sane atque insolenter *innupta noverca* de paelice dicitur. quae causa fuit cur olim partim cum Maehlyo (annal. philol. CIII 353), partim cum Baehrensio scribendum putarem *liber uti nuptae poteretur flore novellae.* postea autem nihil mutandum esse intellexi. immo necessarium est *novercae*, quoniam remota hac notione nihil restat in tota sententia quo matrem primaevi nati mortuam esse significetur, id quod aliquo modo significari oportuit. — 404 *penates* Itali. conf. LXVII 24. *parentes* V, Lachmannus, Hauptius.

LXV 8 tria disticha a Lachmanno adprobante Hauptio ex c. LXVIII 20—24 et 92—96 post hunc versum addita removi una cum servato ab eis hexametro isto *adloquar*, *audiero numquam tua facta loquentem* (*tua* *loquentem* D, Lachmannus). quo de versu libris fide dignis ignoto iamque a Scaligero expuncto conf. Baehrensii prolegom. XXVIII. neque ad Catullianam originem eius demonstrandam sufficiunt quae nuper attulit Sydovius de recens. Cat. carm. 57 ss. interpolationis indicium ego quidem et in moleste repetito verbo loquendi (*adloquar* — *loquentem*) adgnosco, neque vero, etiam si Lachmanni rationes in universum probandas esse censerem, apud verbum *audiero* pronomen *te* sine concinnitatis detrimento omissum putarem. ceterum, ne plus uno versiculo excidisse statuamus, ipse modus interclusionis suadet, in quo ut minime offendimus, ita augeri eum sine necessitate nolumus.

LXVI 15 *parentum* vix sanum. sed ex propositis coniecturis nulla probabilis. an scripserat Catullus *maritum?* — 24 *tunc* O. *nunc* sscr. *tunc* G. *tum* Hauptius. — 50 *ferri stringere* Heysius. conf. Ellisius in comment., Schwabius annal. philol. CXVII 266 s., Sydovius de recens. Cat. carm. 47 s. *ferris fringere* G. *ferris fingere* O. *ferri frangere* ex D Lachmannus Hauptiusque. — 53 *nutantibus* V. conf. Apul. metamorph. VI 15 *libratisque pinnarum nutantium molibus*, quem locum apte conparavit Ellisius in comment. *nictantibus* ex coniectura Bentleii Hauptius. — 59 *sola* God. Hermannus ann. philol. XXII 312. *solum* libri, et ita Hauptius. — 77 s. *omnibus expers Unguentis una* V, quod

reduxi probatis eis quae Vahlenus disputavit Hermae XV 269, ut sententia haec sit: 'ego, quae, dum virgo fuit Berenice, omnibus expers eram unguentis, una (potione) milia multa (unguenti) cum illa bibi', scilicet die nuptiarum eius. et interpretatus est ita fere hunc locum iam Ellisius in adnot. critica, nisi quod *una* cum *quicum* iunxit. verbis *omnibus expers* cruce praeposita deinde Auratum secutus *unguenti Syrii* scripsit Hauptius. — 85 *a* (coniunctim scriptum cum voce quae sequitur) V. *ah* Hauptius. — 93 malui depravatam codicum lectionem signo crucis notatam exhibere quam Lachmanni coniecturam *sidera corruerint utinam!* Hauptio aliisque probatam recipere. quae quomodo cum sententia ultimo versu elata consociari possit parum video. neque vero verba ita constituta bene cohaerent cum antecedentibus, id quod etiam in Guarini coniecturam *cur retinent?* et plerasque omnes cadit. ceterum, cum v. 92 libri non *affice*, sed *effice* praebeant, comam haec fere dixisse suspiceris: 'largis effice muneribus ut sidera (mihi vicina) coma regia fieri suumque in caelo locum Hydrochoo et Orioni relinquere cupiant'. sed hanc sententiam errant qui ex ipsis verbis qualia in libris tradita sunt elici posse arbitrantur (conf. Ellisius in adnot. crit.).

LXVII 5 *nato* Froehlichius. *voto* (*noto* Dresdensis) libri, et ita Hauptius. — *maligne* O cum Dresdensi et Harleiano 2574. *maligno* reliqui libri, Hauptius. illud ut praeferamus, ratio concinnitatis suadet. recepta autem lectione *maligne* fieri vix potest ut servetur *voto*. neque omnino haec scriptura talis est ut iustum inde nascatur contrarium. itaque, quamquam in hoc carmine suapte natura paullo impeditiore summa opus esse cautione sentio, tamen non dubitavi Froehlichii coniecturam adsumere. ceterum universas carminis rationes proleg. p. XLVII s. exposui. — 9 parenthesis signa verbis *ita Caecilio — nunc sum* ab Hauptio et vulgo adposita recte removit Vahlenus. — 12 *istud populi vana loquella facit* scripsi. *istius populi ianua qui te facit* V. *istud populi fabula, Quinte, facit* Lachmannus, quem Hauptius secutus est, partim de coniectura Scaligeri. verum huius illud *Quinte* in falsa de praenomine Catulli opinione nititur. ceterum simillimam atque ego medicinam iam Heysius corrupto loco adhibuerat scribendo *istud populi vana querela facit.* — 32 *Cycneae supposita speculae* Is. Vossius. *chinea suppositum specula* V. *Chineae supposita speculae* cruce *Chineae* nomini praeposita Hauptius. — 33 *percurrit* libri, quod nescio an ita defendi possit ut amniculum istum qui, postquam Brixiam percucurrit, in Mellam influit — hodie Garza nominatur — quasi alteram eius fluminis partem eodem nomine a poeta conprehensum esse statuamus.

certe praestat me iudice in codicum lectione adquiescere quam cum Hauptio Cluverii (Ital. antiq. 412) coniecturam *praecurrit* recipere. hoc enim verbum ea significatione qua *praetercurrere* vel *praeterfluere* dictum esse nullo, quod sciam, exemplo probatur. — 37 *istaec* veteres editiones. *iste* V. *isthaec* Lachmannus Hauptiusque.

LXVIII. etsi Hauptio reliquisque qui hoc carmen unum individuumque esse censent plane adsentior, tamen, ut singularis sane conpositio eius extrinsecus quoque conspicua esset, post v. 40 et 148 orationem intervallis distinxi. corpus enim, ut ita dicam, totius elegiae ad M.' Allium missae versibus 41—148 conprehensum prooemio et epilogo tamquam involucris utrimque includitur, eaque est singularum harum partium ratio ut, etsi omnes inter se conexae sunt sententiarum ordine, tamen prima et extrema epistulae speciem prae se ferant, cum media sit encomium amici artificiose cum Lesbiae laudibus et funesti Laodamiae amoris narratione coniunctum. unde in illis ipsum Allium adloquitur poeta, in hac ut absentem eum celebrat. — 26 *omnes* G (*omnem* O). *omnis* Lachmannus ex libris suis, Hauptius. — 39 *posta est* V, quod cur spernatur vix idoneam esse causam puto, reduxitque post Is. Vossium Ellisius quoque. *facta est* D, quem Lachmannus Hauptiusque secuti sunt, aperta interpolatione. neque probabiliora me iudice recentiorum commenta. — 66 *Allius* O in ipso versu testatur, cum in margine adscriptum *manllius* habeat. *manlius* G cum reliquis plerisque. *Manius* Lachmannus Hauptiusque. non potest autem esse dubium quin in hac parte elegiae poeta constanter nomine amici, non praenomine usus sit. — 68 s. locum plane integrum, sed vulgo non intellectum ac nuper rursus infelicissimis temptatum coniecturis rectissime, etsi parum definite, interpretatus est Ellisius; cui nunc, revocato priore errore, Munro quoque adstipulatur (journal of philology VIII 333 s.). scilicet domina hic commemorata non Lesbia est, sed ignota nobis matrona quaedam amicitiae, probabiliter etiam propinquitatis vinculo cum Allio coniuncta, fortasse soror eius, *ad quam*, h. e. apud quam sive in cuius aedibus non solum ipsi Allio, sed intercedente eo Catullo quoque amorem suum exercere licuit, eadem domina, quam v. 156 felicem esse iubet poeta. ad Lesbiam v. 70 demum transit Catullus. quam qui iam v. 68 significari arbitrantur, ei, nisi ad peiora etiam et prorsus incredibilia confugere volunt, non possunt non cum Froehlichio *dominae* scribere, id quod praeter Baehrensium nuper Kiesslingium quoque (anal. Catull. 16) fecisse video. sed haec coniectura ipsa orationis conformatione refellitur — plane ineptum enim tum est alterum illud *isque*

(quod vitium ipse quidem Froehlichius evitaverat ita ut pro eo *atque* poneret, sed nemini probavit) — neque minus refellitur verbis *ad quam*, pro quibus necessario *in qua* Catullo dicendum fuisset, sicut dixit infra v. 156. atque hoc post publicatam editionem suam recte intellexit Baehrensius, sed frustra in annal. philol. CXVII 770 difficultatem tollere sibi visus est scribendo *ad quem*. ceterum ne quis interpretationi supra propositae id obstare putet quod M.' Allius v. 12 *hospes* dicitur a poeta: potuit iure sic adpellari, etiam si alienae domus, sed qua tamquam sua uteretur, copiam Catullo fecerat. — 82 *hiemps* L. Muellerus. *hyemps* O cum D. *hyēms* G. *hiems* vulgo, et sic Hauptius. — 85 *scibant* V. *scibat* Hauptius e coniectura Lachmanni. — *abesse* Itali. conf. A. Weisius in programm. gymn. Citiensis a. 1869, p. 37 et Munro crit. p. 187 s. (qui tamen aperte errat cum *coniugio* hic quoque, ut v. 107, pro *coniuge* dictum et *abrupto* a verbo *abrupiendi* h. e. abripiendi ducendum esse putat. conf. v. 81). *abisse* V, Lachmannus, Hauptius. — 92 *ei* O cum D. *hei* reliqui libri, Hauptius. — 93 *ei* D. *hei* V, Hauptius. — 102 *Graia* L. Muellerus praefat. XXXV. *Graeca* codices, et sic Hauptius. — 105 *pulcerrima* Ellisius (*pulcerima* O). *pulcherrima* Hauptius. — 118 *tamen indomitam* Heysius. *tuum domitum* V, quae depravatio ex scriptura *tn̄indomitam* facillimo errore nasci potuit. de vi particulae *tamen* conf. Munro l. c. 189, qui et ipse Heysii inventum probat. *durum domitam* Hauptius e coniectura Lachmanni, quae in lectione libri D *divum domitum* nititur. ceterum rectissime Lachmannus vidit non posse hic nisi ipsam Laodamiam dici iugum ferre doctam esse: cuius loco qui Protesilaum inferre temptaverunt, versuum 119—130 nullam rationem habuerunt. eisdemque ex versibus, quibus quae antea dicta sunt duplici conparatione confirmantur, simul perspici poterat hic quoque generaliter ardentem Laodamiae erga coniugem amorem celebrari neque solum illud post mortem Protesilai tempus respici. — 119 *nec* V. *neque* Hauptius. — 139 *contudit iram* Hertzbergius. *cotidiana* O cum parte reliquorum. *quotidiana* G. *concoquit iram* Hauptius e coniectura Lachmanni. cui ea quam ipse et Ellisius recepimus omni ex parte praestat, nam et multo aptius ad hunc locum tempus perfectum pro praesenti infert et sublimitati carminis magis convenit propiusque a librorum memoria abest. ceterum emendationem incohaverat Santenius *continet iram* scribendo. — 141 *atqui* Itali. *atque* V. *at, quia* Lachmannus Hauptiusque ex D. — 142 *tremuli tolle* libri. *tremulist illa* Hauptius e coniectura Lachmanni. — 150 quamquam communis omnibus codicibus depravatio *aliis* demonstrat in eo libro unde V fluxit *Alli* scriptum fuisse, quod divinando

restituit Scaliger, tamen mihi quidem totam carminis conpositionem reputanti veri simile videtur Catullum ipsum, quemadmodum in prooemio, sic in hoc epilogo quoque praenomine *Mani* usum esse. conf. quae supra exposui. utrumque nomen etiam v. 66 in libris confusum est, ubi veram scripturam *Allius* solus O praebet idemque in margine adscriptum habet *manllius*, quae monstruosa forma sine dubio inde est orta quod sive in V sive in alio aliquo codice vetusto scriptum erat $\overset{\text{man}}{\text{allius}}$; pro quo G et plerique reliqui *manlius*, alii *malius* vel similia exhibent. — 157 *et qui quam primo nobis terram dedit aufert* scripsi. *et qui principio nobis terram dedit aufert* codices, quod cruce tribus verbis extremis praeposita retinuit Hauptius. ego quidem Vahleno in prooemio indic. lect. aest. Berol. a. 1882, p. 4 s. de loco hoc difficillimo disputanti eatenus adsentior ut ipse quoque vitium in priore, non, ut plerique omnes, in altera versus parte quaerendum esse censeam. atque contraria inter se verba *dedit aufert* non attemptanda esse recte iam Fr. Schoellius annal. philol. CXXI 480 dixerat ceteroqui mire lapsus. sed coniecturam Vahleni, qui initio versus 157 coniunctione *dum* pro *et* reposita totum distichon de Iove intellegi vult, conpluribus de causis probare nequeo. primum enim Iuppiter qui finem vitae hominibus inponit terram eis auferre vix videtur dici posse. deinde talis definitio temporis usque ad quod Allium reliquosque felices esse iubet poeta, etiam si per se huic loco apta esset, qua de re dubitare licet, certe non mediis votis inseri, sed extremo subici debebat. at tamen illuc transferri distichon ipsa versus 160 sententia vetat. denique probabilitati coniecturae id quoque obstat, etsi minoris est momenti, quod non solum hominibus, verum etiam domui in qua amici luserunt felicitatem precatur poeta. quae cum ita sint, ego ad eam potius deducor sententiam ut maritum dominae hic significari suspicer, qui quod ad id permiserit, iam permittere amplius nolit, scilicet ut Allius apud uxorem suam cum amica conveniret, videturque mihi circa hanc rem calamitas Allii versata esse. etenim qui intenta oculorum acie omnia quae huc faciunt circumspicit, vix potest dubitare quin ille quoque cum nupta muliere et nobili, quacum alio loco libere convenire ei non liceret, consuetudinem habuerit. adparet autem quam periculosum fuerit domum suam talibus congressibus praebere, apteque ad eam rem Munro crit. 185 illud quod a Tacito annal. XI 4 init. traditur contulit. iam si Allium sumimus furtivo isto commercio forte palam facto inpellente ac minante laeso marito ab ea domo ubi ad id tempus amore suo fruitus erat exclusum aut certe ibi, ut

antehac, cum amica congredi vetitum esse, simul hinc optime illa verba inlustrantur quibus Catullus in exordio elegiae de fortuna adversa amici rettulit. nam de natura acerbi istius casus quo se oppressum esse Allius absenti Catullo per epistulam nuntiaverat in universum rectius quam ceteros O. Harneckerum in programmate gymnasii Friedebergensis a. 1881, p. 3 ss. iudicasse censeo, quamquam neque recte amorem ab his incommodis plane alienum fuisse putavit et alia quaedam minus probabilia disputationi suae admiscuit. perapte autem dici videtur terra olim data auferri eis quibus facta ab amico copia cum puellis amatis conveniendi subito detrahitur, nec multum distat haec metaphora ab ea imagine qua initio carminis condicio Allii descripta est (v. 3 s. conf. etiam v. 63 ss.). quodsi quis in audacia translationis offendet, recordandum est locutiones in eadem imagine positas apud Romanos admodum usitatas esse, opportuneque Munro (journal of philol. VIII 335), qui nunc et ipse eo inclinat ut vocabulum *terram* pro integro habeat, non nullos ex Plauto et Cicerone locos ad stabiliendam hanc lectionem attulit, veluti mercat. v. 197 s.: *equidem me iam censebam esse in terra atque in tuto loco: Verum video me iterum ad saxa ferri saevis fluctibus.* praeterea manifestum est poetam et hic et omnibus omnino locis ubi de Allii fortuna deque eius suisque ipsius apud 'dominam' amoribus loquitur cautione et quaesita quadam obscuritate uti resque non tam enuntiare quam leviter significare. quo ex studio videtur illud quoque explicandum esse quod extremo demum carmine qualis Allii casus fuerit paucis aperit hominemque antea nondum commemoratum infert. iam vero erunt fortasse qui negent fieri potuisse ut poeta, iuvenis ingenio in iram praeceps, etiam eum quem ipse terram amantibus auferre diceret bonis prosequeretur ominibus. at si illum necessitati paruisse noverat, certe magis habuit cur priorum beneficiorum et amico suo et sibimet ipsi datorum grato animo recordaretur quam cur excandesceret, neque obliviscendum est elegiam hanc eo tempore quo Veronae absens morte fratris graviter adflictus erat conpositam esse. possum addere alia, sed iam ultra modum egressus sum. itaque finem disputandi facturus id tantum agam ut quo modo depravatio orta esse mihi videatur explicem ipsumque quod adhibui remedium a vituperatione defendam. puto enim primum pronomen relativum *quam* post *qui* per errorem omissum, deinde metri reficiendi causa carminis LXVI versu 49, qui a verbis *et qui principio* orditur, in auxilium vocato pro *primo* substitutum esse *principio*. quam suspicionem si quis parum probabilem esse iudicabit propterea quod vox quae est *primo* versu proximo recurrit: ea repetitio vix potest permolesta videri

neque est proprie repetitio dicenda, cum in hexametro adverbium sit *primo*, in pentametro autem adiectivum pronomini relativo additum. neque id inaniter additum est, quippe quod eum qui quam initio dederit terram iam auferat principem omnis et Allii et Catulli felicitatis auctorem esse indicet; qui si non fuisset, ne Allius quidem de Catullo ita ut fecit mereri potuit. — 158 *tum* (i. e. illo tempore quo terram nobis dedit) inserui. conf. v. 131. *primo omnia* libri, quod reduxit Vahlenus. *primo mi omnia* Hauptius, quod probare cur nequeam, ex eis quae ad v. 157 disputavi intellegitur. ceterum hiatum tolerari posse neganti ei adsentior. — *bona* Itali. conf. c. LXXVII 4. *bono* V, et ita Lachmannus et Hauptius.

LXXII 7 *quia* Is. Vossius. conf. XCII 3. *quam* V. *quod* DL cum aliis ς, Lachmannus, Hauptius.

LXXIII 4 *iam iuvat* addidit Munro crit. 205, postquam Baehrensius praeivit *iuverit* scribendo. *immo* (*imo* G) *etiam tedet obestque magisque magis* V. quae ita in versum redegit Avantius ut deleto illo *magisque* bis poneret verbum *taedet*. atque hanc ad coniecturam rediit Vahlenus. *immo etiam taedet*, *si fit*, *obestque magis* Hauptius Lachmannum secutus. mihi quidem non dubium est quin initio versus aliquid haustum sit unde praecedens infinitivus penderet, neque video quid et facilius ante vocabula *immo etiam* excidere potuerit et ad sententiam aptius sit quam illud quod posui.

LXXV carmen e disiectis partibus a se restitutum hic posuit Scaliger. Hauptius Lachmanni rationes secutus illuc ubi duo priora eius disticha in libris habentur, h. e. post c. LXXXVI traiecit et carmina LXXVII—LXXXVII inter LXXIV et LXXVI inseruit. — 3 *ullo* V. *nullo* D, et sic Lachmannus, Hauptius. — *in* addendum censuit Doeringius. praepositione ab Hauptio et vulgo spreta nullo modo careri posse ipsa orationis conformatio demonstrat, respondent enim sibi verba *in foedere tanta* et *quanta in amore*. conf. etiam c. LXXVI 3.

LXXVI 5 *manent iam in longa* Munro crit. 206. *manētū in-longa* O. *manenti in longa* una littera in fine primi vocabuli erasa G. *manent in longa* vulgo, et sic Hauptius. — 10 *cur te, cur iam amplius* scripsi. conf. Hor. carm. IV 1 33. Bentleius ad eiusdem c. III 24 25. *cur te iam amplius* V, quod nuper defensum ivit Sydovius de recens. Cat. carmin. 68 s. *iam te cur amplius* ex D Lachmannus Hauptiusque. at in isto codice verba hiatus removendi causa a correctore temere sic transposita esse manifestum est. neque enim particulam *iam* a conparativo ad quem pertinet seiungere licet. repetitionem interrogativi *cur*, qua ego metro consului, sententiae esse accommodatissimam vix

erit qui neget. — 11 *animo offirmas* V. *animo affirmas* ς, Lachmannus, Hauptius (nisi quod hic *adfirmas*). — *atque* V. *itaque* male Scaliger, cum eoque Lachmannus et Hauptius, verissima praeterea N. Heinsii emendatione *istinc teque*, quam O confirmat *instincteque* praebens, adsumpta, post verbum autem *reducis* commate posito. orationis conformationem recte explicavit Sydovius 7. — 18 *extremo* V, quod sine idonea causa adhuc spretum mihi videtur, cum et ad sententiam me iudice peraptum sit neque usui sermonis repugnet. conf. in primis Nep. Hamilc. 2, 3. *extremam* ς non nulli, inter quos DL, et ita Lachmannus, Hauptius. verum dei, si quem ab ipso mortis limine ad vitam revocant — alia autem sententia verbis poetae subiecta esse non potest —, extremam ei opem ferre dici nequeunt. itaque, si quis servatam a nobis optimorum librorum lectionem reiciat, ei cum maiore parte reliquorum scribendum erit *extrema*, quod post alios Baehrensius et Munro crit. 206 probaverunt. atque dixit *extrema iam in morte* Vergilius Aen. II 447 et XI 846. sed idem ne Catullo tribuam, prohibet me pronomen *ipsa* ad vocem *morte* ab eo additum. — *ipsa in* Itali. *ipsam* V. *ipsa* e suis libris Lachmannus, itemque Hauptius. — 19 ss. orationem recte distinxit Baehrensius. conf. Vahlenus in prooem. ind. lect. Berol. aest. 1880, p. 10. enuntiatum versibus 21 et 22 conprehensum ex imperativo *adspicite* pendere, verba autem *et si vitam — perniciemque mihi* tamquam parenthesin interposita esse voluit Lachmannus, cuius rationem Hauptius secutus est. — 21 *ei mihi* commate posito post *mihi* Baehrensius. *hei mihi* Lachmannus Hauptiusque. *seu mihi* codices.

LXXIX 1 et 3 *pulcer* O. *pulcher* Hauptius. — 4 *notorum* O, quod olim coniectura restituit Scaliger. *natorum* G cum reliquis, et sic Lachmannus, Hauptius. verum non nati, sed noti apte dicuntur Lesbii os inpurum reformidare, habetque haec lectio praesidium a Ciceronis oratione pro Sestio § 111: *is* (Gellius P. Clodii amicus) *de me suffragium tulit, is adfuit, is interfuit epulis et gratulationibus parricidarum; in quo tamen est me ultus, cum illo ore inimicos est meos saviatus.*

LXXXI 3 *ab sede* V. *a sede* ς, et ita Hauptius.

LXXXIII 2 *haec* (*hec*) V. *hoc* ς plerique, Lachmannus, Hauptius.

LXXXVI 5 *pulcerrima* Ellisius. *pulcerima* O. *pulcherrima* Hauptius. — 6 *omnis* O. *omnes* Hauptius.

LXXXVIII 4 *ecquid* vetus corrector. *et quid* V. *et qui* D. unde *ecqui* Lachmannus Hauptiusque.

XC 5 *gratus* L. Muellerus praefat. XXXVII, quod, cum ipse Muellerus invento suo uti nescivisset, suo iure in ordinem

verborum receperunt Baehrensius et Vahlenus. *gnatus* Hauptius cum libris.

XCI 3 *non nossem* Avantius et emendationis pridem factae ignarus I. Maehlyus ann. philol. CIII 356. *cognossem* V, Lachmannus, Hauptius.

XCII 3 *totidem* quamquam non intellego, tamen ut duplici auctoritate firmatum mutare non sum ausus. habent enim et codices Gellii, qui VII 16 2 carmen hoc adfert, et O Catulli, cuius libri auctorem versus 3 et 4 in G omissos non ex Gellio addidisse, sed in archetypo suo invenisse recte Baehrensius prolegom. L aliique statuisse videntur. potest vulgaris locutio subesse nobis ignota, fortasse, quo de Ellisius cogitavit, a nescio quo ludo desumpta. conf. Hor. sat. II 3 298. ceterum peraptum ad sententiam esset *itidem:* unde verbo quod praecedit in *t* litteram exeunte facillimo in scriptura continua errore fieri potuit *totidem*. atque habet Vaticanus 3452 Gellii *quia sin totidem ea*.

XCV 3 ad nomen *Hortensius* crucem adposui. vid. proleg. p. XLIIIs.

XCVI 4 in Hauptii coniectura *Orco mersas* sane quidem audaci, at reliquis, quotquot adhuc prolatae sunt, longe anteponenda optimum duxi adquiescere. librorum scripturam *olim missas* a Vahleno reductam ferri posse nego.

XCVII 1 parenthesis signum a Lachmanno Hauptioque verbis *ita me di ament* adpositum removi praeeunte Vahleno. — 6 *ploxeni* recentiores editores plerique secundum Quintil. I 5 8. *ploxnio* O (*ploxonio* G cum reliquis tantum non omnibus), qua depravatione ea vocabuli forma indicatur quam Festus p. 230 M. praebet, *ploxinum*. *ploxemi* olim vulgo, et sic Lachmannus Hauptiusque. — 9—12 praecedentibus continuavi cum plerisque editoribus; separavit ab eis tamquam alterum carmen (LXXXXVII b) Hauptius Lachmannum secutus.

XCVIII 1 et 5 *Vetti* Statius. *Victi* V. *Vitti* Hauptius. conf. proleg. XXXVI. ceterum apud Cic. epist. ad Att. II 24 in codice Mediceo pro *Vettius* conpluriens legitur *Vectius*. a quo non multum abest librorum Catullianorum depravatio *Victi*.

XCIX 8 *guttis abstersisti* editio Trincavell. Avantii, quod ex recentioribus Baehrensius et Vahlenus iure receperunt. *guttis abstersti* O. *guttis astersi* Duebnero Ellisio Bonneto testibus G. *abstersi guttis* D. unde *abstersti guttis* editio Aldina a. 1502, Lachmannus, Hauptius. quod falsum esse prava quae sic oritur verborum conlocatio docet. in D sine dubio hiatus evitandi causa vocabula temere transposita. absonum autem illud *abstersti*, quod in O legitur, cave ne aliud esse putes quam

depravationem plenae formae in reliquis libris magis etiam corruptae.

CI 7 *interea haec* O. *interea hoc* G cum reliquis plerisque. *interea* D, Lachmannus Hauptiusque. ceterum de vi quae inest in adverbio *interea* conf. Handius Tursell. III 416 s.

CVII 5 post *insperanti* interpunxi cum Klotzio (emend. Catull. VIII). parum enim probabile est Catullum *insperanti nobis* dixisse. sed etiam si fieri id potuisse concedas, insuavis est repetitio verborum *restituis cupido* non accedente ad ea alia notione, qualem *insperanti* praebet. idque cum praegressis verbis coniungendum esse conparatio quoque huius loci cum exordio carminis docet. denique *ipsa* pronomen plus habet ponderis initio novi membri conlocatum. sine distinctione continuavit orationem Hauptius cum Lachmanno.

CVIII 1 *Si, Comini, populi arbitrio tua* Statius, quod cum plerisque iam Vahlenus recepit. *Sic homini populari arbitrio tua* V. *Si Comini arbitrio populari* deleto *tua* pronomine Guarinus, quem Lachmannus Hauptiusque secuti sunt.

CX 3 *tu, promisisti mihi quod mentita* Munro crit. 218. *tu quod promisisti mihi quod mentita* V. *tu, quod promisti mihi, quod mentita* cum Italis Lachmannus. *tu, quod promisti, mihi quod mentita* post Passeratium Hauptius. sed *quod mentita* pro *quod mentita es* dixisse Catullum parum credibile. — 7 *fraudando plus* ex D Lachmannus, quem Hauptius secutus est. neque ego quicquam inserere volui. *fraudando efficit plus* V, unde *officium* Marcilius, *officiis* Bergkius. *fraudando nimio plus* Vahlenus. — *avaraest* scripsi. *avarae* Hauptius. verbum substantivum in codicibus omissum primus addidit Calpurnius.

CXI 1 *contentam* V (*contēptam* O), quod Vahlenus quoque revocavit. *contentas* Lachmannus Hauptiusque ex coniectura Scaligeri. — 4 *parere* Italus aliquis, quo mancus in V versus probabili modo restituitur. potuit enim id verbum et propter vocem *patruo* proxime antecedentem et ob similem praegressi versus exitum perfacile excidere. Lachmannus Hauptiusque codicem D secuti inter vocabula *fratres* et *ex patruo* lacunam indicaverunt.

CXII 1 *neque* V. *nec* Lachmannus Hauptiusque ex D. — 2 *descendit* V. *te scindit* Hauptius male. etenim, ut alia taceam, eo modo mirum quantum infringitur vis epigrammatis in extrema voce *pathicus* posita. quod quidem probrum adparet eo acerbius esse quo magis praeter expectationem in fine demum distichi obicitur. itaque ne eis quidem adsentiri possum qui scriptura librorum servata *descendit* et ipsum obscene dictum esse putant. obscuritas carminis inde potissimum nascitur quod

verba *multus homo* quid valeant parum constat. sed loquacitatem eis notari mihi quidem maxime probabile videtur. Plautus Menaechm. 313 V. (315 R.) 'hominem multum et odiosum mihi', Afranius 202 R. 'multa ac molesta es' dixit. quare nescio an epigramma hoc ita explicandum sit: 'homo es loquax, Naso, sed ne loquax quidem homo est qui tecum in publicum prodeat (de hac verbi quod est *descendere* significatione conf. Bentleius ad Hor. epist. I 20 5), nam non solum loquax es, verum etiam pathicus.'

CXIV 1 *Firmano saltu* editio Aldina anni 1502. *Firmanus saluis* V. *Firmanus saltu* Lachmannus Hauptiusque cum Palladio. quod num probabilem in modum explicari possit, valde dubito. certe Schwabii in quaest. Catull. 227 ss. de Firmano Mentula disputatio ad fidem faciendam minime apta est. accedit quod, cum nomen Mentulae adiectivo omnino non indigeat neque, si indigeret, tribus verbis ab eo separatum esset, contra absolute positum illud *saltu* vehementer displicet, praesertim cum v. 2 enuntiatum relativum sequatur non ex propiore vocabulo *Mentula*, sed ex remotiore *saltu* suspensum. non autem nimia audacia *Firmano* scribimus pro *Firmanus*, quoniam verbo *saltu* semel in *saluis* corrupto consequens erat ut praecedentis adiectivi terminatio nomini quod est *Mentula* accommodaretur. nec veremur ne quis huic coniecturae diffidat propterea quia saltus Mentulae c. CXV 6 'usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum' extendi dicitur. ista enim verba utique esse pro ingenti superlatione habenda manifestum est. — 3 *aucupia* Itali. *aucupiā* G. *an cupiā* O. *aucupium* Lachmannus Hauptiusque ex D. — 6 *modulo* scripsi, ut sententia sit: 'saltum laudemus, dum ne habeat modum saltus dominus fructusque inde redditos sumptibus exuperet' (v. 4). *modo* codices, quod retinet Munro p. 224 s., cum non pro adverbio, sed pro substantivo accipit similiterque atque ego locum explicat. sed displicet ambiguitas. ad genus depravationis conf. LXI 182 et 188, ubi *puellae puellam* pro *puellulae puellulam* in V. *domo* Hauptius ex coniectura Lachmanni (conf. hic ad Lucr. 196). quam ut spernerem, eo potissimum adductus sum quod *saltus* in hoc carmine, ut in v. 4 subsequentis epigrammatis, idem fere est quod *praedium*, in quo aedes quoque casasque fuisse consentaneum est, ita ut *domus* parum apte ei opponi videatur.

CXV 1 *Mentula habet iuxta* Heysius Scaligerum secutus. *Mentula habet instar* (*istar* O) V. *Mentula, habes instar* Lachmannus, cum eoque Hauptius. verum secunda verbi persona parum probabilis, quoniam ne in reliquis quidem quae de Mentula et de Mamurra sunt carminibus usquam ipsum poeta ad-

locutus est. neque est facta haec mutatio nisi ad conservandam lectionem *instar*, quam tamen ferri posse non adducor ut credam. cuius in vicem quod reposui *iuxta*, eo illud significatur quod me iudice iam in ipso carminis initio significari necesse est, continuas fuisse possessiones Mentulae (conf. v. 4). similis depravatio c. LXVIII 143, ubi *deastra* pro *dextra* V. — 2 *maria*, quod fuerunt qui coniecturis temptarent, verissimum est, modo de ingentibus locorum spatiis tractibusque intellegas, quae vocabuli potestas non dubito quin in sermone communi Romanorum usitata fuerit. notum est Graecos suum *πέλαγος* de quavis immensitate dixisse, in eademque metaphora Sallustianum illud *maria montisque polliceri* positum est. atque requiritur hic utique immensae notio magnitudinis, quia quae praecedit triginta iugerum prati et quadraginta arvi commemoratio ad significandas divitias solito maiores minime sufficit. itaque sententia haec est: 'ceterae praeter prata et arva saltus partes ingentis sunt ambitus.' iam apte adiungitur Croesi mentio. — 5 *saltusque* ferri potest, quoniam v. 4 hoc nomen manifesto est artis vocabulum, quo aut universe praedium varii generis agros conplectens aut fundus finitae magnitudinis notatur, qualem Varro rer. rust. I 10 extr. describit. defendit Sydovius quoque de recens. Catulli carmin. p. 72 s. conf. etiam Munro crit. 222 ss. — 7 *ipsest* Froehlichius. *ipse si* V (eodem modo in optimis libris peccatum c. LXII 8). *ipse est* vulgo. *ipse es* post Italum aliquem Lachmannus Hauptiusque.

CXVI 4 *tela infesta meum* Muretus. *telis* (*celis* O) *infesta* V. *telis infestum* Lachmannus ex D, itemque Hauptius. quae lectio, quamvis speciosa sit, tamen reicienda est. non enim, si *funda mittit* et similia absolute dicuntur, sequitur *telis mittere* Latinum esse. neque vero per sententiam fieri potest ut *telis* ex adiectivo *infestum* pendeat, qua de constructione Ellisium cogitasse miraremur, nisi commentarius eius abundaret perversis enarrandi conatibus. accedit quod pronomine personali vel possessivo aegre caremus in hoc enuntiato, inestque fortasse in libri D scriptura *infestum* pro *infesta* tenue vestigium eius vocabuli quod ante *mittere* excidisse arbitramur.

INDEX
CARMINUM IN PROLEGOMENIS TRACTATORUM.

CATULLI VERONENSIS

LIBER.

CATULLI VERONENSIS

LIBER.

I.

Quoi dono lepidum novum libellum,
arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
meas esse aliquid putare nugas
iam tum cum ausus es unus Italorum
omne aevum tribus explicare chartis,
doctis, Iuppiter, et laboriosis.
quare habe tibi quidquid hoc libelli,
qualecumque tuo, patrone, verbo
plus uno maneat perenne saeclo.

II.

Lesbia sparrow

Passer, deliciae meae puellae,
quicum ludere, quem in sinu tenere,
quoi primum digitum dare adpetenti
et acris solet incitare morsus,
cum desiderio meo nitenti
carum nescio quid libet iocari
†et solaciolum sui doloris,
credo uti gravis adquiescat ardor,
tecum ludere sicut ipsa possem
et tristis animi levare curas!

II[a].

tam gratum est mihi quam ferunt puellae
pernici aureolum fuisse malum,
quod zonam soluit diu ligatam.

III.

Lugete, o Veneres Cupidinesque,
et quantum est hominum venustiorum.
passer mortuus est meae puellae,
passer, deliciae meae puellae,
quem plus illa oculis suis amabat:
nam mellitus erat suamque norat
ipsam tam bene quam puella matrem,
nec sese a gremio illius movebat,
sed circumsiliens modo huc modo illuc
ad solam dominam usque pipiabat.
qui nunc it per iter tenebricosum
illuc, unde negant redire quemquam.
at vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
tam bellum mihi passerem abstulistis.
o factum male! io miselle passer!
tua nunc opera meae puellae
flendo turgiduli rubent ocelli.

IV.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
ait fuisse navium celerrimus,
neque ullius natantis impetum trabis
nequisse praeterire, sive palmulis
opus foret volare sive linteo.
et hoc negat minacis Adriatici
negare litus insulasve Cycladas
Rhodumque nobilem horridamque Thraciam
Propontida trucemve Ponticum sinum,

ubi iste post phaselus antea fuit
comata silva: nam Cytorio in iugo
loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica et Cytore buxifer,
tibi haec fuisse et esse cognitissima
ait phaselus: ultima ex origine
tuo stetisse dicit in cacumine,
tuo imbuisse palmulas in aequore,
et inde tot per inpotentia freta
erum tulisse, laeva sive dextera
vocaret aura, sive utrumque Iuppiter
simul secundus incidisset in pedem;
neque ulla vota litoralibus deis
sibi esse facta, cum veniret a mari
novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
sed haec prius fuere: nunc recondita
senet quiete seque dedicat tibi,
gemelle Castor et gemelle Castoris.

V.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis.
soles occidere et redire possunt:
nobis, cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda.
da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
dein, cum milia multa fecerimus,
conturbabimus illa, ne sciamus,
aut nequis malus invidere possit,
cum tantum sciet esse basiorum.

VI.

Flavi, delicias tuas Catullo,
ni sint inlepidae atque inelegantes,
velles dicere, nec tacere posses.

verum nescio quid febriculosi
scorti diligis: hoc pudet fateri.
nam te non viduas iacere noctes
ecquidnam tacitum? cubile clamat
sertis ac Syrio fragrans olivo,
pulvinusque peraeque et hac et illac
attritus, tremulique quassa lecti
argutatio inambulatioque.
iam tu ista ipse nihil vales tacere.
cur? non tam latera ecfututa pandas,
ni tu quid facias ineptiarum.
quare, quidquid habes boni malique,
dic nobis. volo te ac tuos amores
ad caelum lepido vocare versu.

VII.

Quaeris, quot mihi basiationes
tuae, Lesbia, sint satis superque.
quam magnus numerus Libyssae harenae
lasarpiciferis iacet Cyrenis,
oraclum Iovis inter aestuosi
et Batti veteris sacrum sepulcrum,
aut quam sidera multa, cum tacet nox,
furtivos hominum vident amores,
tam te basia multa basiare
vesano satis et super Catullost,
quae nec pernumerare curiosi
possint nec mala fascinare lingua.

VIII.

Miser Catulle, desinas ineptire,
et quod vides perisse perditum ducas.
fulsere quondam candidi tibi soles,
cum ventitabas quo puella ducebat
amata nobis quantum amabitur nulla.
ibi illa multa tum iocosa fiebant,

quae tu volebas nec puella nolebat.
fulsere vere candidi tibi soles.
nunc iam illa non vult: tu quoque, inpotens, noli,
nec quae fugit sectare, nec miser vive,
sed obstinata mente perfer, obdura.
vale, puella. iam Catullus obdurat,
nec te requiret nec rogabit invitam:
at tu dolebis, cum rogaberis nulla.
scelesta, vae te! quae tibi manet vita!
quis nunc te adibit? cui videberis bella?
quem nunc amabis? cuius esse diceris?
quem basiabis? cui labella mordebis?
at tu, Catulle, destinatus obdura.

IX.

Verani, omnibus e meis amicis †
antistans mihi milibus trecentis,
venistine domum ad tuos penates
fratresque unanimos anumque matrem?
venisti. o mihi nuntii beati!
visam te incolumem audiamque Hiberum
narrantem loca, facta, nationes,
ut mos est tuus, applicansque collum
iucundum os oculosque saviabor.
o quantum est hominum beatiorum,
quid me laetius est beatiusve?

X.

Varus me meus ad suos amores
visum duxerat e foro otiosum,
scortillum, ut mihi tum repente visumst,
non sane inlepidum neque invenustum.
huc ut venimus, incidere nobis
sermones varii, in quibus, quid esset
iam Bithynia, quo modo se haberet,
ecquonam mihi profuisset aere.

respondi id quod erat, nihil neque ipsis
iam praetoribus esse nec cohorti,
cur quisquam caput unctius referret,
praesertim quibus esset inrumator
praetor nec faceret pili cohortem.
'at certe tamen' inquiunt, 'quod illic
natum dicitur esse, conparasti
ad lecticam homines.' ego, ut puellae
unum me facerem beatiorem,
'non' inquam 'mihi tam fuit maligne,
ut, provincia quod mala incidisset,
non possem octo homines parare rectos.'
at mi nullus erat neque hic neque illic,
fractum qui veteris pedem grabati
in collo sibi collocare posset.
hic illa, ut decuit cinaediorem,
'quaeso' inquit 'mihi, mi Catulle, paullum
istos: commodum enim volo ad Sarapim
deferri.' 'mane' inquii puellae,
'istud quod modo dixeram me habere,
fugit me ratio: meus sodalis
Cinna est Gaius; is sibi paravit.
verum, utrum illius an mei, quid ad me?
utor tam bene quam mihi pararim.
sed tu insulsa male et molesta vivis,
per quam non licet esse neglegentem.'

XI.

Furi et Aureli, comites Catulli,
sive in extremos penetrabit Indos,
litus ut longe resonante Eoa
tunditur unda,

sive in Hyrcanos Arabasve molles
seu Sacas sagittiferosve Parthos,
sive qua septemgeminus colorat
aequora Nilus,

sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monimenta magni,
Gallicum Rhenum, horribile aequor, ulti-
mosque Britannos,

omnia haec, quaecumque feret voluntas
caelitum, temptare simul parati,
pauca nuntiate meae puellae
non bona dicta.

cum suis vivat valeatque moechis,
quos simul conplexa tenet trecentos,
nullum amans vere, sed identidem omnium
ilia rumpens:

nec meum respectet, ut ante, amorem,
qui illius culpa cecidit velut prati
ultimi flos, praetereunte postquam
tactus aratro est.

XII.

Marrucine Asini, manu sinistra
non belle uteris in ioco atque vino:
tollis lintea neglegentiorum.
hoc salsum esse putas? fugit te, inepte:
quamvis sordida res et invenustast.
non credis mihi? crede Pollioni
fratri, qui tua furta vel talento
mutari velit: est enim leporum
disertus puer ac facetiarum.
quare aut hendecasyllabos trecentos
expecta aut mihi linteum remitte,
quod me non movet aestimatione,
verum est mnemosynum mei sodalis.
nam sudaria Saetaba ex Hiberis
miserunt mihi muneri Fabullus
et Veranius: haec amem necessest
ut Veraniolum meum et Fabullum.

Invitation to dinner.

XIII.

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
paucis, si tibi di favent, diebus,
si tecum attuleris bonam atque magnam
cenam, non sine candida puella
et vino et sale et omnibus cachinnis.
haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
cenabis bene: nam tui Catulli
plenus sacculus est aranearum.
sed contra accipies meros amores
seu quid suavius elegantiusvest:
nam unguentum dabo, quod meae puellae
donarunt Veneres Cupidinesque,
quod tu cum olfacies, deos rogabis,
totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

Christmas present

XIV.

Ni te plus oculis meis amarem,
iucundissime Calve, munere isto
odissem te odio Vatiniano:
nam quid feci ego quidve sum locutus,
cur me tot male perderes poetis?
isti di mala multa dent clienti,
qui tantum tibi misit inpiorum.
quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
munus dat tibi Sulla litterator,
non est mi male, sed bene ac beate,
quod non dispereunt tui labores.
di magni, horribilem et sacrum libellum,
quem tu scilicet ad tuum Catullum
misti, continuo ut die periret
Saturnalibus, optimo dierum!
non non hoc tibi, salse, sic abibit:
nam, si luxerit, ad librariorum
curram scrinia, Caesios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
ac te his suppliciis remunerabor.

vos hinc interea valete abite
illuc unde malum pedem attulistis,
saecli incommoda, pessimi poetae.

XIV[a].

Si qui forte mearum ineptiarum
lectores eritis manusque vestras
non horrebitis admovere nobis,
. . . .

XV.

Commendo tibi me ac meos amores,
Aureli. veniam peto pudentem,
ut, si quicquam animo tuo cupisti,
quod castum expeteres et integellum,
conserves puerum mihi pudice.
non dico a populo: nihil veremur
istos qui in platea modo huc modo illuc
in re praetereunt sua occupati:
verum a te metuo tuoque pene
infesto pueris bonis malisque.
quem tu qua lubet, ut lubet, moveto
quantum vis, ubi erit foris paratum:
hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
quod si te mala mens furorque vecors
in tantam inpulerit, sceleste, culpam,
ut nostrum insidiis caput lacessas,
a tum te miserum malique fati,
quem attractis pedibus patente porta
percurrent raphanique mugilesque.

XVI.

Pedicabo ego vos et inrumabo,
Aureli pathice et cinaede Furi,
qui me ex versiculis meis putastis,
quod sunt molliculi, parum pudicum.

nam castum esse decet pium poetam
ipsum, versiculos nihil necessest,
qui tum denique habent salem ac leporem,
si sunt molliculi ac parum pudici
et quod pruriat incitare possunt,
non dico pueris, sed his pilosis,
qui duros nequeunt movere lumbos.
vos, quod milia multa basiorum
legistis, male me marem putatis?
pedicabo ego vos et inrumabo.

XVII.

O Colonia, quae cupis ponte ludere longo,
et salire paratum habes, sed vereris inepta
crura ponticuli assulis stantis in redivivis,
ne supinus eat cavaque in palude recumbat,
sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
in quo vel Salisubsilis sacra suscipiantur:
munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
quendam municipem meum de tuo volo ponte
ire praecipitem in lutum per caputque pedesque,
verum totius ut lacus putidaeque paludis
lividissima maximeque est profunda vorago.
insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
bimuli tremula patris dormientis in ulna.
quoi cum sit viridissimo nupta flore puella
(et puella tenellulo delicatior haedo,
adservanda nigerrimis diligentius uvis),
ludere hanc sinit ut lubet, nec pili facit uni,
nec se sublevat ex sua parte, sed velut alnus
in fossa Liguri iacet suppernata securi,
tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam,
talis iste meus stupor nil videt, nihil audit,
ipse qui sit, utrum sit an non sit, id quoque nescit.
nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
si pote stolidum repente excitare veternum
et supinum animum in gravi derelinquere caeno,
ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

XVIII—XXI.

Aureli, pater essuritionum,
non harum modo, sed quot aut fuerunt
aut sunt aut aliis erunt in annis,
pedicare cupis meos amores.
nec clam: nam simul es, iocaris una,
haeres ad latus, omnia experiris.
frustra: nam insidias mihi instruentem
tangam te prior inrumatione.
atque id si faceres satur, tacerem:
nunc ipsum id doleo, quod essurire
a te mi puer et sitire discet.
quare desine, dum licet pudico,
ne finem facias, sed inrumatus.

XXII.

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
homo est venustus et dicax et urbanus,
idemque longe plurimos facit versus.
puto esse ego illi milia aut decem aut plura
perscripta, nec sic ut fit in palimpsestos
relata: chartae regiae, novi libri,
novi umbilici, lora rubra, membranae,
derecta plumbo et pumice omnia aequata.
haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus aut fossor
rursus videtur: tantum abhorret ac mutat.
hoc quid putemus esse? qui modo scurra
aut siquid hac re tersius videbatur,
idem infaceto est infacetior rure,
simul poemata attigit, neque idem umquam
aeque est beatus ac poema cum scribit:
tam gaudet in se tamque se ipse miratur.
nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam,
quem non in aliqua re videre Suffenum
possis. suus cuique attributus est error:
sed non videmus manticae quod in tergost.

XXIII.

Furi, cui neque servus est neque arca
nec cimex neque araneus neque ignis,
verum est et pater et noverca, quorum
dentes vel silicem comesse possunt,
est pulcre tibi cum tuo parente
et cum coniuge lignea parentis.
nec mirum: bene nam valetis omnes,
pulcre concoquitis, nihil timetis,
non incendia, non graves ruinas,
non furta inpia, non dolos veneni,
non casus alios periculorum.
atqui corpora sicciora cornu
aut siquid magis aridum est habetis
sole et frigore et essuritione.
quare non tibi sit bene ac beate?
a te sudor abest, abest saliva,
mucusque et mala pituita nasi.
hanc ad munditiem adde mundiorem,
quod culus tibi purior salillost,
nec toto decies cacas in anno,
atque id durius est faba et lapillis,
quod tu si manibus teras fricesque,
non umquam digitum inquinare possis.
haec tu commoda tam beata, Furi,
noli spernere nec putare parvi,
et sestertia quae soles precari
centum desine: nam sat es beatus.

XXIV.

O qui flosculus es Iuventiorum,
non horum modo, sed quot aut fuerunt
aut posthac aliis erunt in annis,
mallem divitias Midae dedisses
isti quoi neque servus est neque arca,
quam sic te sineres ab illo amari.
'qui? non est homo bellus?' inquies. est:

sed bello huic neque servus est neque arca.
hoc tu quam lubet abice elevaque:
nec servum tamen ille habet neque arcam.

XXV.

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo
vel anseris medullula vel imula auricilla
vel pene languido senis situque araneoso,
idemque Thalle turbida rapacior procella,
cum diva † mulierarios ostendit oscitantes,
remitte pallium mihi meum, quod involasti,
sudariumque Saetabum catagraphosque Thynos,
inepte, quae palam soles habere tamquam avita.
quae nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte,
ne laneum latusculum manusque mollicellas
inusta turpiter tibi flagella conscribillent,
et insolenter aestues velut minuta magno
deprensa navis in mari vesaniente vento.

XXVI.

Mortgaged villa

Furi, villula vestra non ad austri
flatus opposita est neque ad favoni
nec saevi boreae aut apeliotae,
verum ad milia quindecim et ducentos.
o ventum horribilem atque pestilentem!

XXVII.

Minister vetuli puer Falerni,
inger mi calices amariores,
ut lex Postumiae iubet magistrae,
ebrioso acino ebriosioris.
at vos quo lubet hinc abite, lymphae,
vini pernicies, et ad severos
migrate: hic merus est Thyonianus.

XXVIII.

Pisonis comites, cohors inanis
aptis sarcinulis et expeditis,
Verani optime tuque mi Fabulle,
quid rerum geritis? satisne cum isto
vappa frigoraque et famen tulistis?
ecquidnam in tabulis patet lucelli
. . . .
expensum, ut mihi, qui meum secutus
praetorem refero datum lucello
'o Memmi, bene me ac diu supinum
tota ista trabe lentus inrumasti.'
sed, quantum video, pari fuistis
casu: nam nihilo minore verpa
farti estis. pete nobiles amicos.
at vobis mala multa di deaeque
dent, opprobria Romuli Remique.

XXIX.

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
nisi inpudicus et vorax et aleo,
Mamurram habere quod comata Gallia
habebat ante et ultima Britannia?
cinaede Romule, haec videbis et feres?
et ille nunc superbus et superfluens
perambulabit omnium cubilia
ut albulus columbus haut idoneus?
cinaede Romule, haec videbis et feres?
es inpudicus et vorax et aleo.
eone nomine, imperator unice,
fuisti in ultima occidentis insula,
ut ista vestra diffututa mentula
ducenties comesset aut trecenties?
quid est alid sinistra liberalitas?
parum expatravit an parum elluatus est?
paterna prima lancinata sunt bona:
secunda praeda Pontica: inde tertia

Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
et huicne Gallia et metit Britannia?
quid hunc malum fovetis? aut quid hic potest
nisi uncta devorare patrimonia?
eone nomine, urbis o putissimi,
socer generque, perdidistis omnia?

XXX.

Alfene inmemor atque unanimis false sodalibus,
iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi?

iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide?
nec facta inpia fallacum hominum caelicolis placent.

quod tu neglegis, ac me miserum deseris in malis.
eheu quid faciant, dic, homines, cuive habeant fidem?

certe tute iubebas animam tradere, inique, me
inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.

idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia factaque
ventos inrita ferre ac nebulas aerias sinis.

si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit Fides,
quae te ut paeniteat postmodo facti faciet tui.

XXXI.

Paene insularum, Sirmio, insularumque
ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
marique vasto fert uterque Neptunus,
quam te libenter quamque laetus inviso,
vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
liquisse campos et videre te in tuto!
o quid solutis est beatius curis,
cum mens onus reponit, ac peregrino
labore fessi venimus larem ad nostrum

desideratoque adquiescimus lecto.
hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude:
gaudete vos quoque, Lydiae lacus undae:
ridete, quidquid est domi cachinnorum.

XXXII.

Amabo, mea dulcis Ipsitilla,
meae deliciae, mei lepores,
iube ad te veniam meridiatum.
et si iusseris illud, adiuvato
nequis liminis obseret tabellam,
neu tibi lubeat foras abire,
sed domi maneas paresque nobis
novem continuas fututiones.
verum, siquid ages, statim iubeto:
nam pransus iaceo et satur supinus
pertundo tunicamque palliumque.

XXXIII.

O furum optime balneariorum,
Vibenni pater, et cinaede fili,
(nam dextra pater inquinatiore,
culo filius est voraciore)
cur non exilium malasque in oras
itis? quandoquidem patris rapinae
notae sunt populo, et natis pilosas,
fili, non potes asse venditare.

XXXIV.

Dianae sumus in fide
 puellae et pueri integri:
 Dianam pueri integri
 puellaeque canamus.

o Latonia, maximi
magna progenies Iovis,
quam mater prope Deliam
deposivit olivam,—

montium domina ut fores
silvarumque virentium
saltuumque reconditorum
amniumque sonantum.

tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis,
tu potens Trivia et notho es
dicta lumine Luna.

tu cursu, dea, menstruo
metiens iter annuum
rustica agricolae bonis
tecta frugibus exples.

sis quocumque tibi placet
sancta nomine, Romulique,
antique ut solita es, bona
sospites ope gentem.

XXXV.

Poetae tenero, meo sodali
velim Caecilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi moenia Lariumque litus:
nam quasdam volo cogitationes
amici accipiat sui meique.
quare, si sapiet, viam vorabit,
quamvis candida milies puella
euntem revocet manusque collo
ambas iniciens roget morari,
quae nunc, si mihi vera nuntiantur,
illum deperit inpotente amore:

nam quo tempore legit incohatam
Dindymi dominam, ex eo misellae
ignes interiorem edunt medullam.
ignosco tibi, Sapphica puella
musa doctior: est enim venuste
magna Caecilio incohata mater.

XXXVI.

Annales Volusi, cacata charta,
votum solvite pro mea puella.
nam sanctae Veneri Cupidinique
vovit, si sibi restitutus essem
desissemque truces vibrare iambos,
electissima pessimi poetae
scripta tardipedi deo daturam
infelicibus ustulanda lignis.
et hoc pessima se puella vidit
iocose lepide vovere divis.
nunc, o caeruleo creata ponto,
quae sanctum Idalium † uriosque apertos
quaeque Ancona Cnidumque harundinosam
colis quaeque Amathunta quaeque Golgos
quaeque Durrachium Hadriae tabernam,
acceptum face redditumque votum,
si non inlepidum neque invenustumst.
at vos interea venite in ignem,
pleni ruris et inficetiarum
annales Volusi, cacata charta.

XXXVII.

Salax taberna vosque contubernales,
a pilleatis nona fratribus pila,
solis putatis esse mentulas vobis,
solis licere quidquid est puellarum
confutuere et putare ceteros hircos?
an, continenter quod sedetis insulsi

centum an ducenti, non putatis ausurum
me una ducentos inrumare sessores?
atqui putate: namque totius vobis
frontem tabernae ropionibus scribam.
puella nam mi, quae meo sinu fugit,
amata tantum quantum amabitur nulla,
pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
consedit istic. hanc boni beatique
omnes amatis, et quidem, quod indignumst,
omnes pusilli et semitarii moechi;
tu praeter omnes une de capillatis,
cuniculosae Celtiberiae fili
Egnati, opaca quem bonum facit barba
et dens Hibera defricatus urina.

XXXVIII.

Malest, Cornifici, tuo Catullo,
malest me hercule ei et laboriose,
et magis magis in dies et horas.
quem tu, quod minimum facillimumquest,
qua solatus es adlocutione?
irascor tibi. sic meos amores?
paullum quid lubet adlocutionis,
maestius lacrimis Simonideis.

XXXIX.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
renidet usque quaque. si ad rei ventumst
subsellium, cum orator excitat fletum,
renidet ille. si ad pii rogum fili
lugetur, orba cum flet unicum mater,
renidet ille. quidquid est, ubicumquest,
quodcumque agit, renidet. hunc habet morbum,
neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
quare monendum te est mihi, bone Egnati,
si urbanus esses aut Sabinus aut Tiburs

aut pinguis Umber aut obesus Etruscus
aut Lanuvinus ater atque dentatus
aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
aut qui lubet qui puriter lavit dentes,
tamen renidere usque quaque te nollem:
nam risu inepto res ineptior nullast.
nunc Celtiber es: Celtiberia in terra,
quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
dentem atque russam defricare gingivam,
ut quo iste vester expolitior dens est,
hoc te amplius bibisse praedicet loti.

XL.

Quaenam te mala mens, miselle Ravide,
agit praecipitem in meos iambos?
quis deus tibi non bene advocatus
vecordem parat excitare rixam?
[an ut pervenias in ora vulgi?]
quid vis? qua lubet esse notus optas?
eris, quandoquidem meos amores
cum longa voluisti amare poena.

XLI.

Ametina puella defututa
tota milia me decem poposcit,
ista turpiculo puella naso,
decoctoris amica Formiani.
propinqui, quibus est puella curae,
amicos medicosque convocate:
non est sana puella. nec rogate,
qualis sit: solide est imaginosa.

XLII.

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
omnes undique, quotquot estis omnes.

iocum me putat esse moecha turpis
et negat mihi nostra reddituram
pugillaria, si pati potestis.
persequamur eam, et reflagitemus.
quae sit quaeritis? illa quam videtis
turpe incedere, mimice ac moleste
ridentem catuli ore Gallicani.
circumsistite eam, et reflagitate,
'moecha putida, redde codicillos,
redde, putida moecha, codicillos.'
non assis facit? o lutum, lupanar,
aut si perditius potest quid esse.
sed non est tamen hoc satis putandum.
quod si non aliud potest, ruborem
ferreo canis exprimamus ore.
conclamate iterum altiore voce
'moecha putida, redde codicillos,
redde, putida moecha, codicillos.'
sed nil proficimus, nihil movetur.
mutanda est ratio modusque vobis,
siquid proficere amplius potestis,
'pudica et proba, redde codicillos.'

XLIII.

Salve, nec minimo puella naso
nec bello pede nec nigris ocellis
nec longis digitis nec ore sicco
nec sane nimis elegante lingua,
decoctoris amica Formiani.
ten provincia narrat esse bellam?
tecum Lesbia nostra conparatur?
o saeclum insapiens et infacetum!

XLIV.

O funde noster seu Sabine seu Tiburs
(nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est

cordi Catullum laedere: at quibus cordist,
quovis Sabinum pignore esse contendunt),
sed seu Sabine sive verius Tiburs,
fui libenter in tua suburbana
villa malamque pectore expuli tussim,
non inmerenti quam mihi meus venter,
dum sumptuosas appeto, dedit, cenas.
nam, Sestianus dum volo esse conviva,
orationem in Antium petitorem
plenam veneni et pestilentiae legi.
hic me gravido frigida et frequens tussis
quassavit usque dum in tuum sinum fugi
et me recuravi otioque et urtica.
quare refectus maximas tibi grates
ago, meum quod non es ulta peccatum.
nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sesti recepso, quin gravedinem et tussim
non mi, sed ipsi Sestio ferat frigus,
qui tum vocat me, cum malum librum legi.

XLV.

Acmen Septumius suos amores
tenens in gremio 'mea' inquit 'Acme,
ni te perdite amo atque amare porro
omnes sum adsidue paratus annos
quantum qui pote plurimum perire,
solus in Libya Indiaque tosta
caesio veniam obvius leoni.'
hoc ut dixit, Amor, sinistra † ut ante,
† dextra sternuit adprobationem.
at Acme leviter caput reflectens
et dulcis pueri ebrios ocellos
illo purpureo ore saviata
'sic' inquit, 'mea vita Septumille,
huic uni domino usque serviamus,
ut multo mihi maior acriorque
ignis mollibus ardet in medullis.'
hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,

dextra sternuit adprobationem.
nunc ab auspicio bono profecti
mutuis animis amant amantur.
unam Septumius misellus Acmen
mavult quam Syrias Britanniasque:
uno in Septumio fidelis Acme
facit delicias libidinesque.
quis ullos homines beatiores
vidit, quis Venerem auspicatiorem?

XLVI.

Iam ver egelidos refert tepores,
iam caeli furor aequinoctialis
iucundis zephyri silescit auris.
linquantur Phrygii, Catulle, campi
Nicaeaeque ager uber aestuosae:
ad claras Asiae volemus urbes.
iam mens praetrepidans avet vagari,
iam laeti studio pedes vigescunt.
o dulces comitum valete coetus,
longe quos simul a domo profectos
diversae variae viae reportant.

XLVII.

Porci et Socration, duae sinistrae
Pisonis, scabies famesque mundi,
vos Veraniolo meo et Fabullo
verpus praeposuit Priapus ille?
vos convivia lauta sumptuose
de die facitis? mei sodales
quaerunt in trivio vocationes?

XLVIII.

Mellitos oculos tuos, Iuventi,
siquis me sinat usque basiare,

usque ad milia basiem trecenta,
nec umquam videar satur futurus,
non si densior aridis aristis
sit nostrae seges osculationis.

XLIX.

Disertissime Romuli nepotum,
quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
quotque post aliis erunt in annis,
gratias tibi maximas Catullus
agit, pessimus omnium poeta,
tanto pessimus omnium poeta
quanto tu optimus omnium patronus.

L.

Hesterno, Licini, die otiosi
multum lusimus in meis tabellis,
ut convenerat esse delicatos.
scribens versiculos uterque nostrum
ludebat numero modo hoc modo illoc,
reddens mutua per iocum atque vinum.
atque illinc abii tuo lepore
incensus, Licini, facetiisque,
ut nec me miserum cibus iuvaret,
nec somnus tegeret quiete ocellos,
sed toto indomitus furore lecto
versarer cupiens videre lucem,
ut tecum loquerer, simulque ut essem.
at defessa labore membra postquam
semimortua lectulo iacebant,
hoc, iucunde, tibi poema feci,
ex quo perspiceres meum dolorem.
nunc audax cave sis, precesque nostras,
oramus, cave despuas, ocelle,
ne poenas Nemesis reposcat a te.
est vemens dea: laedere hanc caveto.

LI.

Ille mi par esse deo videtur,
ille, si fas est, superare divos,
qui sedens adversus identidem te
spectat et audit

dulce ridentem, misero quod omnis
eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, adspexi, nihil est super mi
. . . .

lingua sed torpet, tenuis sub artus
flamma demanat, sonitu suopte
tintinant aures geminae, teguntur
lumina nocte.

otium, Catulle, tibi molestumst:
otio exultas nimiumque gestis.
otium et reges prius et beatas
perdidit urbes.

LII.

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
sella in curuli struma Nonius sedet,
per consulatum perierat Vatinius:
quid est, Catulle? quid moraris emori?

LIII.

Risi nescio quem modo e corona,
qui, cum mirifice Vatiniana
meus crimina Calvus explicasset,
admirans ait haec manusque tollens
'di magni, salaputium disertum!'

LIV.

Otonis caput oppido pusillum,
† et eri rustica semilauta crura,
subtile et leve peditum Libonis
. . . .
. . . .
si non omnia displicere vellem
tibi et Fuficio seni recocto.
. . . .
irascere iterum meis iambis
inmerentibus, unice imperator.

LV.

Oramus, si forte non molestumst,
demonstres, ubi sint tuae tenebrae.
te campo quaesivimus minore,
te in circo, te in omnibus libellis,
te in templo summi Iovis sacrato.
in Magni simul ambulatione
femellas omnes, amice, prendi,
quas vultu vidi tamen serenas.
a vel te sic ipse flagitabam,
'Camerium mihi, pessimae puellae.'
quaedam inquit nudum reduc . . . †
'en hic in roseis latet papillis.'
sed te iam ferre Herculi labos est.
14 tanto ten fastu negas, amice?
23 non custos si fingar ille Cretum,
25 non Ladas ego pinnipesve Perseus,
24 non si Pegaseo ferar volatu,
26 non Rhesi nivea citaque biga:
adde huc plumipedes volatilesque,
ventorumque simul require cursum:
quos cunctos, Cameri, mihi dicares,
defessus tamen omnibus medullis
et multis langoribus peresus
essem te mihi, amice, quaeritando.

dic nobis ubi sis futurus, ede
audacter, committe, crede luci.
num te lacteolae tenent puellae?
si linguam clauso tenes in ore,
fructus proicies amoris omnes:
verbosa gaudet Venus loquella.
vel, si vis, licet obseres palatum,
dum nostri sis particeps amoris.

LVI.

O rem ridiculam, Cato, et iocosam
dignamque auribus et tuo cachinno.
ride, quidquid amas, Cato, Catullum:
res est ridicula et nimis iocosa.
deprendi modo pupulum puellae
trusantem: hunc ego, si placet Dionae,
protelo rigida mea cecidi.

LVII.

Pulcre convenit inprobis cinaedis,
Mamurrae pathicoque Caesarique.
nec mirum: maculae pares utrisque,
urbana altera et illa Formiana,
inpressae resident nec eluentur:
morbosi pariter gemelli utrique,
uno in lecticulo erudituli ambo,
non hic quam ille magis vorax adulter,
rivales socii puellularum.
pulcre convenit inprobis cinaedis.

LVIII.

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
illa Lesbia quam Catullus unam
plus quam se atque suos amavit omnes,

nunc in quadriviis et angiportis
glubit magnanimos Remi nepotes.

LIX.

Bononiensis rufa Rufum io fellat,
uxor Meneni, saepe quam in sepulcretis
vidistis ipso rapere de rogo cenam,
cum devolutum ex igne prosequens panem
ab semiraso tunderetur ustore.

LX.

Num te leaena montibus Libystinis
aut Scylla latrans infima inguinum parte
tam mente dura procreavit ac taetra,
ut supplicis vocem in novissimo casu
contemptam haberes, a, nimis fero corde?

LXI.

Collis o Heliconii
cultor, Uraniae genus,
qui rapis teneram ad virum
virginem, o Hymenaee Hymen,
o Hymen Hymenaee,

cinge tempora floribus
suave olentis amaraci,
flammeum cape, laetus huc
huc veni niveo gerens
luteum pede soccum,

excitusque hilari die
nuptialia concinens
voce carmina tinnula
pelle humum pedibus, manu
pineam quate taedam.

namque Vinia Manlio,
qualis Idalium colens
venit ad Phrygium Venus
iudicem, bona cum bona
nubet alite virgo,

floridis velut enitens
myrtus Asia ramulis,
quos hamadryades deae
ludicrum sibi rosido
nutriunt humore.

quare age huc aditum ferens
perge linquere Thespiae
rupis Aonios specus,
nympha quos super inrigat
frigerans Aganippe,

ac domum dominam voca
coniugis cupidam novi,
mentem amore revinciens,
ut tenax hedera huc et huc
arborem inplicat errans.

vosque item simul, integrae
virgines, quibus advenit
par dies, agite in modum
dicite 'o Hymenaee Hymen,
o Hymen Hymenaee,'

ut lubentius, audiens
se citarier ad suum
munus, huc aditum ferat
dux bonae Veneris, boni
coniugator amoris.

quis deus magis anxiis
est petendus amantibus?
quem colent homines magis
caelitum? o Hymenaee Hymen,
o Hymen Hymenaee.

te suis tremulus parens
invocat, tibi virgines
zonula soluunt sinus,
te timens cupida novus
captat aure maritus.

tu fero iuveni in manus
floridam ipse puellulam
dedis a gremio suae
matris, o Hymenaee Hymen,
o Hymen Hymenaee.

nil potest sine te Venus,
fama quod bona conprobet,
commodi capere: at potest
te volente. quis huic deo
conpararier ausit?

nulla quit sine te domus
liberos dare, nec parens
stirpe nitier: at potest
te volente. quis huic deo
conpararier ausit?

quae tuis careat sacris,
non queat dare praesides
terra finibus: at queat
te volente. quis huic deo
conpararier ausit?

claustra pandite ianuae,
virgo ades. viden ut faces
splendidas quatiunt comas?
tardet ingenuus pudor:
flet, quod ire necessest.

flere desine. non tibi, Au-
runculeia, periculumst,
nequa femina pulcrior
clarum ab Oceano diem
viderit venientem.

talis in vario solet
  divitis domini hortulo
  stare flos hyacinthinus.
sed moraris, abit dies:
  prodeas, nova nupta.

prodeas, nova nupta, si
  iam videtur, et audias
  nostra verba. vide ut faces
aureas quatiunt comas?
  prodeas, nova nupta.

non tuus levis in mala
  deditus vir adultera
  probra turpia persequens
a tuis teneris volet
  secubare papillis,

lenta quin velut adsitas
  vitis inplicat arbores,
  inplicabitur in tuum
conplexum. sed abit dies:
  prodeas, nova nupta.

quem tamen magis audiens 82

. . . .

  o cubile, quod omnibus 114

. . . .

  candido pede lecti,

quae tuo veniunt ero,
  quanta gaudia, quae vaga
  nocte, quae medio die
gaudeat! sed abit dies:
  prodeas, nova nupta.

tollite, o pueri, faces:
  flammeum video venire.
  ite, concinite in modum
'o Hymen Hymenaee io,
  o Hymen Hymenaee.'

ne diu taceat procax
fescennina iocatio,
nec nuces pueris neget
desertum domini audiens
concubinus amorem.

da nuces pueris, iners
concubine: satis diu
lusisti nucibus: lubet
iam servire Talasio.
concubine, nuces da.

sordebant tibi vilicae,
concubine, hodie atque heri:
nunc tuum cinerarius
tondet os. miser a miser
concubine, nuces da.

diceris male te a tuis
unguentate glabris marite
abstinere: sed abstine.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

scimus haec tibi quae licent
sola cognita: sed marito
ista non eadem licent.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

nupta, tu quoque, quae tuus
vir petet, cave ne neges,
ni petitum aliunde eat.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

en tibi domus ut potens
et beata viri tui:
quae tibi sine serviat
(o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee),

usque dum tremulum movens
cana tempus anilitas
omnia omnibus adnuit.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

transfer omine cum bono
limen aureolos pedes,
rasilemque subi forem.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

adspice, intus ut accubans
vir tuus Tyrio in toro
totus immineat tibi.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

illi non minus ac tibi
pectore uritur intimo
flamma, sed penite magis.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

mitte bracchiolum teres,
praetextate, puellulae:
iam cubile adeat viri.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

vos bonae senibus viris
cognitae bene feminae,
collocate puellulam.
o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenaee.

iam licet venias, marite:
uxor in thalamo tibist
ore floridulo nitens,
alba parthenice velut
luteumve papaver.

at, marite, ita me iuvent
caelites, nihilo minus
pulcer es, neque te Venus
neglegit. sed abit dies:
perge, ne remorare.

non diu remoratus es,
iam venis. bona te Venus
iuverit, quoniam palam
quod cupis cupis et bonum
non abscondis amorem.

ille pulveris Africi
siderumque micantium
subducat numerum prius,
qui vostri numerare volt
multa milia ludi.

ludite ut lubet, et brevi
liberos date. non decet
tam vetus sine liberis
nomen esse, sed indidem
semper ingenerari.

Torquatus volo parvulus
matris e gremio suae
porrigens teneras manus
dulce rideat ad patrem
semihiante labello.

sit suo similis patri
Manlio et facile insciis
noscitetur ab omnibus
et pudicitiam suae
matris indicet ore.

talis illius a bona
matre laus genus adprobet,
qualis unica ab optima
matre Telemacho manet
fama Penelopeo.

claudite ostia, virgines:
lusimus satis. at, boni
coniuges, bene vivite et
munere adsidue valentem
exercete iuventam.

LXII.

Vesper adest: iuvenes, consurgite: Vesper Olympo
expectata diu vix tandem lumina tollit.
surgere iam tempus, iam pinguis linquere mensas:
iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra.
nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.
sic certest: viden ut perniciter exiluere?
non temere exiluere: canent quod vincere par est.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

non facilis nobis, aequales, palma paratast:
adspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.
non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.
nec mirum, penitus quae tota mente laborant.
nos alio mentes, alio divisimus aures:
iure igitur vincemur: amat victoria curam.
quare nunc animos saltem convertite vestros:
dicere iam incipient, iam respondere decebit.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?
qui natam possis conplexu avellere matris,
conplexu matris retinentem avellere natam,
et iuveni ardenti castam donare puellam.
quid faciunt hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Hespere, qui caelo lucet iucundior ignis?
qui desponsa tua firmes conubia flamma,
quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.
quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam.
* * *
* * *

namque tuo adventu vigilat custodia semper.
nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato conprendis nomine Eous.
at lubet innuptis ficto te carpere questu.
quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

ut flos in saeptis secretus nascitur hortis,
ignotus pecori, nullo convolsus aratro,
. . . .
quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber,
multi illum pueri, multae optavere puellae;
idem cum tenui carptus defloruit ungui,
nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est;
cum castum amisit polluto corpore florem,
nec pueris iucunda manet nec cara puellis.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo,
numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,
sed tenerum prono deflectens pondere corpus
iam iam contingit summum radice flagellum,
hanc nulli agricolae, nulli coluere iuvenci;
at si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
multi illam agricolae, multi coluere iuvenci:
sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit;
cum par conubium maturo tempore adeptast,
cara viro magis et minus est invisa parenti.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

at tu ne pugna cum tali coniuge, virgo.
non aequum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
ipse pater cum matre, quibus parere necessest.
virginitas non tota tua est, ex parte parentumst:
tertia pars patri, pars est data tertia matri,
tertia sola tua est. noli pugnare duobus,
qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

. . . .

Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

LXIII.

Super alta vectus Attis celeri rate maria
Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit
adiitque opaca silvis redimita loca deae,
stimulatus ibi furenti rabie, vagus animis,
devolsit ili acuto sibi pondera silice.
itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro,
etiam recente terrae sola sanguine maculans
niveis citata cepit manibus leve typanum,
typanum tuum, Cybebe, tua, mater, initia,
quatiensque terga tauri teneris cava digitis
canere haec suis adorta est tremebunda comitibus.
'agite ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul,
simul ite, Dindymenae dominae vaga pecora,
aliena quae petentes velut exules loca
sectam meam executae duce me mihi comites
rapidum salum tulistis truculentaque pelage
et corpus evirastis Veneris nimio odio,
hilarate aere citatis erroribus animum.
mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybebes, Phrygia ad nemora deae,
ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,
tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
ubi capita maenades vi iaciunt hederigerae,
ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
ubi suevit illa divae volitare vaga cohors.
quo nos decet citatis celerare tripudiis.'
simul haec comitibus Attis cecinit notha mulier,

thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant,
viridem citus adit Idam properante pede chorus.
furibunda simul anhelans vaga vadit animam agens
comitata tympano Attis per opaca nemora dux,
veluti iuvenca vitans onus indomita iugi:
rapidae ducem secuntur Gallae properipedem.
itaque, ut domum Cybebes tetigere lassulae,
nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
piger his labante langore oculos sopor operit:
abit in quiete molli rabidus furor animi.
sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
lustravit aethera album, sola dura, mare ferum,
pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit:
trepidante eum recepit dea Pasithea sinu.
ita de quiete molli rapida sine rabie
simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit,
liquidaque mente vidit sine quis ubique foret,
animo aestuante rusum reditum ad vada tetulit.
ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
patriam adlocuta maestast ita voce miseriter.
'patria o mei creatrix, patria o mea genetrix,
ego quam miser relinquens, dominos ut erifugae
famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem,
ut aput nivem et ferarum gelida stabula forem
et earum omnia adirem furibunda latibula,
ubinam aut quibus locis te positam, patria, reor?
cupit ipsa pupula ad te sibi derigere aciem,
rabie fera carens dum breve tempus animus est.
egone a mea remota haec ferar in nemora domo?
patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
abero foro, palaestra, stadio et gymnasiis?
miser a miser, querendum est etiam atque etiam, anime.
quod enim genus figuraest, ego non quod obierim?
ego mulier ego adulescens, ego ephebus, ego puer,
ego gymnasi fui flos, ego eram decus olei,
mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida,
mihi floridis corollis redimita domus erat,
linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.

ego nunc deum ministra et Cybeles famula ferar?
ego maenas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
ego viridis algida Idae nive amicta loca colam?
ego vitam agam sub altis Phrygiae columinibus,
ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus?
iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet.'
roseis ut huic labellis sonitus citus abiit
geminas matris ad auris nova nuntia referens,
ibi iuncta iuga resolvens Cybele leonibus
laevumque pecoris hostem stimulans ita loquitur.
'agedum' inquit 'age ferox i, face ut hunc furor agitet,
face uti furoris ictu reditum in nemora ferat,
mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
age caede terga cauda, tua verbera patere,
face cuncta mugienti fremitu loca retonent,
rutilam ferox torosa cervice quate iubam.'
ait haec minax Cybebe religatque iuga manu.
ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animo,
vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
at ubi umida albicantis loca litoris adiit,
teneramque vidit Attin prope marmora pelagi,
facit impetum: illa demens fugit in nemora fera:
ibi semper omne vitae spatium famula fuit.
dea, magna dea, Cybebe, dea domina Dindymi,
procul a mea tuus sit furor omnis, era, domo:
alios age incitatos, alios age rabidos.

LXIV.

Peliaco quondam prognatae vertice pinus
dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus et fines Aeeteos,
cum lecti iuvenes, Argivae robora pubis,
auratam optantes Colchis avertere pellem
ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
caerula verrentes abiegnis aequora palmis.
diva quibus retinens in summis urbibus arces
ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
pinea coniungens inflexae texta carinae.

illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor,
tortaque remigio spumis incanduit unda,
emersere freti canenti e gurgite vultus
aequoreae monstrum Nereides admirantes.
illa, nulla alia, viderunt luce marinas
mortales oculi nudato corpore nymphas
nutricum tenus extantes e gurgite cano.
tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.
o nimis optato saeclorum tempore nati
heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
23a progenies, salvete iterum . . . .
vos ego saepe meo vos carmine conpellabo,
teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen Peleu, cui Iuppiter ipse,
ipse suos divum genitor concessit amores.
tene Thetis tenuit pulcerrima Nereine?
tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
quae simul optatae finito tempore luces
advenere, domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu:
dona ferunt prae se, declarant gaudia vultu.
deseritur Cieros, linquunt Phthiotica tempe
Crannonisque domos ac moenia Larisaea,
Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
rura colit nemo, mollescunt colla iuvencis.
41 non falx attenuat frondatorum arboris umbram,
39 non humilis curvis purgatur vinea rastris,
40 non glaebam prono convellit vomere taurus:
42 squalida desertis robigo infertur aratris.
ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
regia, fulgenti splendent auro atque argento.
candet ebur soliis, conlucent pocula mensae,
tota domus gaudet regali splendida gaza.
pulvinar vero divae geniale locatur
sedibus in mediis, Indo quod dente politum
tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.

haec vestis priscis hominum variata figuris
heroum mira virtutes indicat arte.
namque fluentisono prospectans litore Diae
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
indomitos in corde gerens Ariadna furores,
necdum etiam sese quae visit visere credit,
ut pote fallaci quae tum primum excita somno
desertam in sola miseram se cernat harena.
inmemor at iuvenis fugiens pellit vada remis,
inrita ventosae linquens promissa procellae.
quem procul ex alga maestis Minois ocellis
saxea ut effigies bacchantis prospicit, eheu,
prospicit et magnis curarum fluctuat undis,
non flavo retinens subtilem vertice mitram,
non contecta levi † velatum pectus amictu,
non tereti strophio lactentis vincta papillas;
omnia quae toto delapsa e corpore passim
ipsius ante pedes fluctus salis adludebant.
set neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus
illa vicem curans toto ex te pectore, Theseu,
toto animo, tota pendebat perdita mente.
a misera, adsiduis quam luctibus externavit
spinosas Erycina serens in pectore curas
illa tempestate, ferox quo ex tempore Theseus
egressus curvis e litoribus Piraei
attigit iniusti regis Gortynia tecta.
nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exolvere caedis
electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
quis angusta malis cum moenia vexarentur,
ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
proicere optavit potius quam talia Cretam
funera Cecropiae nec funera portarentur.
atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
magnanimum ad Minoa venit sedesque superbas.
hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
regia, quam suavis expirans castus odores
lectulus in molli conplexu matris alebat,
quales Eurotae progignunt flumina myrtus

aurave distinctos educit verna colores,
non prius ex illo flagrantia declinavit
lumina, quam cuncto concepit corpore flammam
funditus atque imis exarsit tota medullis.
heu misere exagitans inmiti corde furores
sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum,
qualibus incensam iactastis mente puellam
fluctibus in flavo saepe hospite suspirantem!
quantos illa tulit languenti corde timores,
quam tum saepe magis fulvore expalluit auri,
cum saevum cupiens contra contendere monstrum
aut mortem oppeteret Theseus aut praemia laudis.
non ingrata tamen frustra munuscula divis
promittens tacito suscepit vota labello.
nam velut in summo quatientem bracchia Tauro
quercum aut conigeram sudanti cortice pinum
indomitus turbo contorquens flamine robur
eruit (illa procul radicitus exturbata
prona cadit, late qua est impetus obvia frangens),
sic domito saevum prostravit corpore Theseus
nequiquam vanis iactantem cornua ventis.
inde pedem sospes multa cum laude reflexit
errabunda regens tenui vestigia filo,
ne labyrintheis e flexibus egredientem
tecti frustraretur inobservabilis error.
sed quid ego a primo digressus carmine plura
commemorem, ut linquens genitoris filia vultum,
ut consanguineae conplexum, ut denique matris,
quae misera in gnata deperdita laetabatur,
omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem,
aut ut vecta rati spumosa ad litora Diae
venerit, aut ut eam devinctam lumina somno
liquerit inmemori discedens pectore coniunx?
saepe illam perhibent ardenti corde furentem
clarisonas imo fudisse e pectore voces,
ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
unde aciem in pelagi vastos protenderet aestus,
tum tremuli salis adversas procurrere in undas
mollia nudatae tollentem tegmina surae,

atque haec extremis maestam dixisse querellis,
frigidulos udo singultus ore cientem.
'sicine me patriis avectam, perfide, ab oris,
perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
sicine discedens neglecto numine divum
inmemor a, devota domum periuria portas?
nullane res potuit crudelis flectere mentis
consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
inmite ut nostri vellet miserescere pectus?
at non haec quondam blanda promissa dedisti
voce mihi, non haec misera sperare iubebas,
sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos:
quae cuncta aerii discerpunt inrita venti.
nunc iam nulla viro iuranti femina credat,
nulla viri speret sermones esse fideles;
quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt,
sed simul ac cupidae mentis satiata libidost,
dicta nihil meminere, nihil periuria curant.
certe ego te in medio versantem turbine leti
eripui, et potius germanum amittere crevi,
quam tibi fallaci supremo in tempore dessem.
pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
praeda, neque iniecta tumulabor mortua terra.
quaenam te genuit sola sub rupe leaena,
quod mare conceptum spumantibus expuit undis,
quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis,
talia qui reddis pro dulci praemia vita?
si tibi non cordi fuerant conubia nostra,
saeva quod horrebas prisci praecepta parentis,
at tamen in vestras potuisti ducere sedes,
quae tibi iucundo famularer serva labore,
candida permulcens liquidis vestigia lymphis
purpureave tuum consternens veste cubile.
sed quid ego ignaris nequiquam conqueror auris
externata malo, quae nullis sensibus auctae
nec missas audire queunt nec reddere voces?
ille autem prope iam mediis versatur in undis,
nec quisquam adparet vacua mortalis in alga.
sic nimis insultans extremo tempore saeva

Fors etiam nostris invidit questibus auris.
Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
indomito nec dira ferens stipendia tauro
perfidus in Creta religasset navita funem,
nec malus hic celans dulci crudelia forma
consilia in nostris requiesset sedibus hospes!
nam quo me referam? quali spe perdita nitor?
Idomeneosne petam montes? a, gurgite lato
discedens ponti truculentum dividit aequor!
an patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui
respersum iuvenem fraterna caede secuta?
coniugis an fido consoler memet amore?
quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
praeterea nullo litus, sola insula, tecto,
nec patet egressus pelagi cingentibus undis:
nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
non tamen ante mihi languescent lumina morte,
nec prius a fesso secedent corpore sensus,
quam iustam a divis exposcam prodita multam,
caelestumque fidem postrema conprecer hora.
quare, facta virum multantes vindice poena
eumenides, quibus anguino redimita capillo
frons expirantis praeportat pectoris iras,
huc huc adventate, meas audite querellas,
quas ego, me miseram, extremis proferre medullis
cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
quae quoniam verae nascuntur pectore ab imo,
vos nolite pati nostrum vanescere luctum,
sed quali solam Theseus me mente reliquit,
tali mente, deae, funestet seque suosque.'
has postquam maesto profudit pectore voces,
supplicium saevis exposcens anxia factis,
adnuit invicto caelestum numine rector,
quo motu tellus atque horrida contremuerunt
aequora concussitque micantia sidera mundus.
ipse autem caeca mentem caligine Theseus
consitus oblito dimisit pectore cuncta
quae mandata prius constanti mente tenebat,

dulcia nec maesto sustollens signa parenti
sospitem Erechtheum se ostendit visere portum.
namque ferunt olim, castae cum moenia divae
linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
talia conplexum iuveni mandata dedisse.
'gnate mihi longa iucundior unice vita,
gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
reddite in extrema nuper mihi fine senectae,
quandoquidem fortuna mea ac tua fervida virtus
eripit invito mihi te, cui languida nondum
lumina sunt gnati cara saturata figura,
non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
nec te ferre sinam fortunae signa secundae,
sed primum multas expromam mente querellas,
canitiem terra atque infuso pulvere foedans,
inde infecta vago suspendam lintea malo,
nostros ut luctus nostraeque incendia mentis
carbasus obscurata decet ferrugine Hibera.
quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
quae nostrum genus ac sedes defendere Erechthei
adnuit, ut tauri respergas sanguine dextram,
tum vero facito ut memori tibi condita corde
haec vigeant mandata nec ulla oblitteret aetas,
ut simul ac nostros invisent lumina collis,
funestam antemnae deponant undique vestem,
candidaque intorti sustollant vela rudentes,
quam primum cernens ut laeta gaudia mente
adgnoscam, cum te reducem aetas prospera sistet.'
haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes
aerium nivei montis liquere cacumen.
at pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
anxia in adsiduos absumens lumina fletus,
cum primum infecti conspexit lintea veli,
praecipitem sese scopulorum e vertice iecit,
amissum credens inmiti Thesea fato.
sic funesta domus ingressus tecta paterna
morte ferox Theseus qualem Minoidi luctum
obtulerat mente inmemori talem ipse recepit.
quae tum prospectans cedentem maesta carinam

multiplices animo volvebat saucia curas.
at parte ex alia florens volitabat Iacchus
cum thiaso satyrorum et Nysigenis silenis,
te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore.
. . . .
quae tum alacres passim lymphata mente furebant
euhoe bacchantes, euhoe capita inflectentes.
harum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos,
pars e divolso iactabant membra iuvenco,
pars sese tortis serpentibus incingebant,
pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
orgia quae frustra cupiunt audire profani,
plangebant aliae proceris tympana palmis
aut tereti tenuis tinnitus aere ciebant,
multis raucisonos efflabant cornua bombos
barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
talibus amplifice vestis decorata figuris
pulvinar conplexa suo velabat amictu.
quae postquam cupide spectando Thessala pubes
expleta est, sanctis coepit decedere divis.
hic, qualis flatu placidum mare matutino
horrificans zephyrus proclivis incitat undas
aurora exoriente vagi sub limina solis,
quae tarde primum clementi flamine pulsae
procedunt (lenes resonant plangore cachinni),
post vento crescente magis magis increbrescunt
purpureaque procul nantes ab luce refulgent,
sic tum vestibuli linquentes regia tecta
ad se quisque vago passim pede discedebant.
quorum post abitum princeps e vertice Peli
advenit Chiron portans silvestria dona:
nam quoscumque ferunt campi, quos Thessala magnis
montibus ora creat, quos propter fluminis undas
aura parit flores tepidi fecunda favoni,
hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
quo permulsa domus iucundo risit odore.
confestim Penios adest, viridantia Tempe,
Tempe, quae silvae cingunt super inpendentes,
naiasin linquens caris celebranda choreis,
non vacuus: namque ille tulit radicitus altas

fagos ac recto proceras stipite laurus,
non sine nutanti platano lentaque sorore
flammati Phaethontis et aeria cupressu.
haec circum sedes late contexta locavit,
vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
post hunc consequitur sollerti corde Prometheus,
extenuata gerens veteris vestigia poenae,
quam quondam silici restrictus membra catena
persolvit pendens e verticibus praeruptis.
inde pater divum sancta cum coniuge natisque
advenit caelo, te solum, Phoebe, relinquens
unigenamque simul cultricem montibus Idri:
Pelea nam tecum pariter soror adspernatast
nec Thetidis taedas voluit celebrare iugalis.
qui postquam niveis flexerunt sedibus artus,
large multiplici constructae sunt dape mensae,
cum interea infirmo quatientes corpora motu
veridicos parcae coeperunt edere cantus.
his corpus tremulum conplectens undique vestis
candida purpurea talos incinxerat ora,
at roseae niveo residebant vertice vittae,
aeternumque manus carpebant rite laborem:
laeva colum molli lana retinebat amictum,
dextera tum leviter deducens fila supinis
formabat digitis, tum prono in pollice torquens
libratum tereti versabat turbine fusum;
atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
laneaque aridulis haerebant morsa labellis,
quae prius in levi fuerant extantia filo;
ante pedes autem candentis mollia lanae
vellera virgati custodibant calathisci.
hae tum clarisona vellentes vellera voce
talia divino fuderunt carmine fata,
carmine perfidiae quod post nulla arguet aetas.
'o decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato,
accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores,
veridicum oraclum. sed vos, quae fata secuntur,
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

adveniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus, adveniet fausto cum sidere coniunx,
quae tibi flexanimo mentem perfundat amore
languidulosque paret tecum coniungere somnos
levia substernens robusto bracchia collo.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
nulla domus tales umquam contexit amores,
nullus amor tali coniunxit foedere amantes,
qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
nascetur vobis expers terroris Achilles,
hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,
qui persaepe vago victor certamine cursus
flammea praevertet celeris vestigia cervae.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
non illi quisquam bello se conferet heros,
cum Phrygii Teucro manabunt sanguine campi
Troicaque obsidens longinquo moenia bello
periuri Pelopis vastabit tertius heres.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
illius egregias virtutes claraque facta
saepe fatebuntur gnatorum in funere matres,
cum incultum cano solvent a vertice crines
putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
namque, velut densas praecerpens cultor aristas
sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
quae passim rapido diffunditur Hellesponto,
cuius iter caesis angustans corporum acervis
alta tepefaciet permixta flumina caede.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
denique testis erit morti quoque reddita praeda,
cum teres excelso coacervatum aggere bustum
excipiet niveos percussae virginis artus.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
nam simul ac fessis dederit fors copiam Achivis

urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla,
alta Polyxenia madefient caede sepulcra,
quae, velut ancipiti succumbens victima ferro,
proiciet truncum submisso poplite corpus.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
quare agite optatos animi coniungite amores.
accipiat coniunx felici foedere divam,
dedatur cupido iam dudum nupta marito.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
non illam nutrix orienti luce revisens
hesterno collum poterit circumdare filo.
[currite ducentes subtegmina, currite, fusi.]
anxia nec mater discordis maesta puellae
secubitu caros mittet sperare nepotes.
currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
talia praefantes quondam felicia Pelei
carmina divino cecinerunt pectore parcae.
praesentes namque ante domos invisere castas
heroum et sese mortali ostendere coetu
caelicolae nondum spreta pietate solebant.
saepe pater divum templo in fulgente residens,
annua cum festis venissent sacra diebus,
conspexit terra centum procumbere tauros.
saepe vagus Liber Parnasi vertice summo
thyiadas effusis euantis crinibus egit,
cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
acciperent laeti divum fumantibus aris.
saepe in letifero belli certamine Mavors
aut rapidi Tritonis era aut Rhamnusia virgo
armatas hominum est praesens hortata catervas.
sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
perfudere manus fraterno sanguine fratres,
destitit extinctos natus lugere parentes,
optavit genitor primaevi funera nati,
liber ut innuptae poteretur flore novercae,
ignaro mater substernens se inpia nato
inpia non verita est divos scelerare penates,
omnia fanda nefanda malo permixta furore

iustificam nobis mentem avertere deorum.
quare nec talis dignantur visere coetus,
nec se contingi patiuntur lumine claro.

LXV.

Etsi me adsiduo confectum cura dolore
sevocat a doctis, Ortale, virginibus,
nec potis est dulcis musarum expromere fetus
mens animi; tantis fluctuat ipsa malis—
namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
pallidulum manans adluit unda pedem,
Troia Rhoeteo quem subter litore tellus
ereptum nostris obterit ex oculis.
. . . .
numquam ego te, vita frater amabilior,
adspiciam posthac: at certe semper amabo,
semper maesta tua carmina morte canam,
qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli,—
sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
haec expressa tibi carmina Battiadae,
ne tua dicta vagis nequiquam credita ventis
effluxisse meo forte putes animo,
ut missum sponsi furtivo munere malum
procurrit casto virginis e gremio,
quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
dum adventu matris prosilit, excutitur:
atque illud prono praeceps agitur decursu,
huic manat tristi conscius ore rubor.

LXVI.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
qui stellarum ortus comperit atque obitus,
flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,

ut cedant certis sidera temporibus,
ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans
dulcis amor gyro devocet aerio,
idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
e Bereniceo vertice caesariem
fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
levia protendens bracchia pollicitast,
qua rex tempestate novo auctus hymenaeo
vastatum finis iverat Assyrios,
dulcia nocturnae portans vestigia rixae,
quam de virgineis gesserat exuviis.
estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
ubertim thalami quas intra limina fundunt?
non, ita me divi, vera gemunt, iuerint.
id mea me multis docuit regina querellis
invisente novo proelia torva viro.
at tu non orbum luxti deserta cubile,
sed fratris cari flebile discidium?
quam penitus maestas exedit cura medullas!
ut tibi tunc toto pectore sollicitae
sensibus ereptis mens excidit! at te ego certe
cognoram a parva virgine magnanimam.
anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta's
coniugium, quo non fortius ausit alis?
sed tum maesta virum mittens quae verba locuta's!
Iuppiter, ut tristi lumina saepe manu!
quis te mutavit tantus deus? an quod amantes
non longe a caro corpore abesse volunt?
atque ibi me cunctis pro dulci coniuge divis
non sine taurino sanguine pollicita's,
si reditum tetulisset. is haut in tempore longo
captam Asiam Aegypti finibus addiderat.
quis ego pro factis caelesti reddita coetu
pristina vota novo munere dissoluo.
invita, o regina, tuo de vertice cessi,
invita: adiuro teque tuumque caput,
digna ferat quod siquis inaniter adiurarit:
sed qui se ferro postulet esse parem?
ille quoque eversus mons est quem maximum in orbe

progenies Thiae clara supervehitur,
cum Medi peperere novum mare cumque iuventus
per medium classi barbara navit Athon.
quid facient crines, cum ferro talia cedant?
Iuppiter, ut Chalybon omne genus pereat,
et qui principio sub terra quaerere venas
institit ac ferri ~~stringere~~ duritiem!
abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
unigena inpellens nutantibus aera pennis
obtulit Arsinoes Locridos ales equus,
isque per aetherias me tollens avolat umbras
et Veneris casto collocat in gremio.
ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Graia Canopiis incola litoribus.
ardui ibi vario ne solum in lumine caeli
ex Ariadneis aurea temporibus
fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus
devotae flavi verticis exuviae,
uvidulam a fletu cedentem ad templa deum me
sidus in antiquis diva novum posuit:
virginis et saevi contingens namque leonis
lumina, Callisto iuncta Lycaoniae,
vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
qui vix sero alto mergitur Oceano.
sed quamquam me nocte premunt vestigia divum,
lux autem canae Tethyi restituit,
pace tua fari hic liceat, Rhamnusia virgo,
(namque ego non ullo vera timore tegam,
nec si me infestis discerpent sidera dictis,
condita quin veri pectoris evoluam),
non his tam laetor rebus, quam me afore semper,
afore me a dominae vertice discrucior,
quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers
unguentis, una milia multa bibi.
nunc, vos optato quom iunxit lumine taeda,
non prius unanimis corpora coniugibus
tradite nudantes reiecta veste papillas,
quam iucunda mihi munera libet onyx,
vester onyx, casto ~~petitis~~ quae iura cubili.

sed quae se inpuro dedit adulterio,
illius a mala dona levis bibat inrita pulvis:
namque ego ab indignis praemia nulla peto.
sed magis, o nuptae, semper concordia vostras,
semper amor sedes incolat adsiduus.
tu vero, regina, tuens cum sidera divam
placabis festis luminibus Venerem,
unguinis expertem non siris esse tuam me,
sed potius largis adfice muneribus.
sidera † cur iterent. utinam coma regia fiam:
proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

LXVII.

O dulci iucunda viro, iucunda parenti,
salve, teque bona Iuppiter auctet ope,
ianua, quam Balbo dicunt servisse benigne
olim, cum sedes ipse senex tenuit,
quamque ferunt rursus nato servisse maligne,
postquam es porrecto facta marita sene,
dic agedum nobis, quare mutata feraris
in dominum veterem deseruisse fidem.
'non, ita Caecilio placeam, cui tradita nunc sum,
culpa mea est, quamquam dicitur esse mea,
nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam:
verum istud populi vana loquella facit,
qui, quacumque aliquid reperitur non bene factum,
ad me omnes clamant 'ianua, culpa tuast.''
non istuc satis est uno te dicere verbo,
sed facere ut quivis sentiat et videat.
'qui possum? nemo quaerit nec scire laborat.'
nos volumus: nobis dicere ne dubita.
'primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
falsum est. non qui illam vir prior attigerit,
languidior tenera cui pendens sicula beta
numquam se mediam sustulit ad tunicam:
sed pater illius gnati violasse cubile
dicitur et miseram conscelerasse domum,

sive quod inpia mens caeco flagrabat amore,
seu quod iners sterili semine natus erat
et quaerendus is unde foret nervosius illud,
quod posset zonam solvere virgineam.'
egregium narras mira pietate parentem,
qui ipse sui gnati minxerit in gremium.
'atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia Cycneae supposita speculae,
flavus quam molli percurrit flumine Mella,
Brixia Veronae mater amata meae,
sed de Postumio et Corneli narrat amore,
cum quibus illa malum fecit adulterium.
dixerit hic aliquis 'qui tu istaec, ianua, nosti,
cui numquam domini limine abesse licet,
nec populum auscultare, sed hic suffixa tigillo
tantum operire soles aut aperire domum?'
saepe illam audivi furtiva voce loquentem
solam cum ancillis haec sua flagitia,
nomine dicentem quos diximus, ut pote quae mi
speraret nec linguam esse nec auriculam.
praeterea addebat quendam, quem dicere nolo
nomine, ne tollat rubra supercilia.
longus homo est, magnas quoi lites intulit olim
falsum mendaci ventre puerperium.'

LXVIII.

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
sublevem et a mortis limine restituam,
quem neque sancta Venus molli requiescere somno
desertum in lecto caelibe perpetitur,
nec veterum dulci scriptorum carmine musae
oblectant, cum mens anxia pervigilat,
id gratum est mihi, me quoniam tibi dicis amicum,
muneraque et musarum hinc petis et Veneris:
sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Mani,

neu me odisse putes hospitis officium,
accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse,
ne amplius a misero dona beata petas.
tempore quo primum vestis mihi tradita purast,
iucundum cum aetas florida ver ageret,
multa satis lusi: non est dea nescia nostri
quae dulcem curis miscet amaritiem:
sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
abstulit. o misero frater adempte mihi,
tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
tecum una tota est nostra sepulta domus,
omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
quae tuus in vita dulcis alebat amor.
cuius ego interitu tota de mente fugavi
haec studia atque omnes delicias animi.
quare, quod scribis Veronae turpe Catullo
esse, quod hic quivis de meliore nota
frigida deserto tepefactet membra cubili,
id, Mani, non est turpe, magis miserumst.
ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.
nam quod scriptorum non magna est copia apud me,
hoc fit quod Romae vivimus: illa domus,
illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
huc una ex multis capsula me sequitur.
quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
id facere aut animo non satis ingenuo,
quod tibi non utriusque petenti copia postast:
ultro ego deferrem, copia siqua foret.

non possum reticere, deae, qua me Allius in re
iuverit aut quantis iuverit officiis:
nec fugiens saeclis obliviscentibus aetas
illius hoc caeca nocte tegat studium:
sed dicam vobis, vos porro dicite multis
milibus et facite haec charta loquatur anus

. . . .

notescatque magis mortuus atque magis,
nec tenuem texens sublimis aranea telam
in deserto Alli nomine opus faciat.

nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam
  scitis, et in quo me corruerit genere,
cum tantum arderem quantum Trinacria rupes
  lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,
maesta neque adsiduo tabescere lumina fletu
  cessarent tristique imbre madere genae,
qualis in aerii perlucens vertice montis
  rivus muscoso prosilit e lapide,
qui cum de prona praeceps est valle volutus,
  per medium sensim transit iter populi,
dulce viatori lasso in sudore levamen,
  cum gravis exustos aestus hiulcat agros.
hic, velut in nigro iactatis turbine nautis
  lenius adspirans aura secunda venit
iam prece Pollucis, iam Castoris inplorata,
  tale fuit nobis Allius auxilium.
is clausum lato patefecit limite campum,
  isque domum nobis, isque dedit dominam,
ad quam communes exerceremus amores.
  quo mea se molli candida diva pede
intulit et trito fulgentem in limine plantam
  innixa arguta constituit solea,
coniugis ut quondam flagrans advenit amore
  Protesilaeam Laodamia domum
inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
  hostia caelestis pacificasset eros.
nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
  quod temere invitis suscipiatur eris.
quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
  docta est amisso Laodamia viro,
coniugis ante coacta novi dimittere collum,
  quam veniens una atque altera rursus hiemps
noctibus in longis avidum saturasset amorem,
  posset ut abrupto vivere coniugio,
quod scibant parcae non longo tempore abesse,
  si miles muros isset ad Iliacos:
nam tum Helenae raptu primores Argivorum
  coeperat ad sese Troia ciere viros,
Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque,
  Troia virum et virtutum omnium acerba cinis,

quaene etiam nostro letum miserabile fratri
attulit. ei misero frater adempte mihi,
ei misero fratri iucundum lumen ademptum,
tecum una tota est nostra sepulta domus,
omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
quae tuus in vita dulcis alebat amor.
quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
nec prope cognatos conpositum cineres,
sed Troia obscena, Troia infelice sepultum
detinet extremo terra aliena solo.
ad quam tum properans fertur simul undique pubes
Graia penetralis deseruisse focos,
ne Paris abducta gavisus libera moecha
otia pacato degeret in thalamo.
quo tibi tum casu, pulcerrima Laodamia,
ereptum est vita dulcius atque anima
coniugium: tanto te absorbens vertice amoris
aestus in abruptum detulerat barathrum,
quale ferunt Grai Pheneum prope Cylleneum
siccare emulsa pingue palude solum,
quod quondam caesis montis fodisse medullis
audit falsiparens Amphitryoniades,
tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
perculit imperio deterioris eri,
pluribus ut caeli tereretur ianua divis,
Hebe nec longa virginitate foret.
sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
qui tamen indomitam ferre iugum docuit.
nam nec tam carum confecto aetate parenti
una caput seri nata nepotis alit,
qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
nomen testatas intulit in tabulas,
inpia derisi gentilis gaudia tollens
suscitat a cano volturium capiti:
nec tantum niveo gavisa est ulla columbo
conpar, quae multo dicitur inprobius
oscula mordenti semper decerpere rostro
quam quae praecipue multivola est mulier:
sed tu horum magnos vicisti sola furores,
ut semel es flavo conciliata viro.

aut nihil aut paullo cui tum concedere digna
lux mea se nostrum contulit in gremium,
quam circumcursans hinc illinc saepe Cupido
fulgebat crocina candidus in tunica.
quae tamen etsi uno non est contenta Catullo,
rara verecundae furta feremus erae,
ne nimium simus stultorum more molesti.
saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,
coniugis in culpa flagrantem contudit iram,
noscens omnivoli plurima furta Iovis.
atqui nec divis homines conponier aequumst

. . . .

. . . .

ingratum tremuli tolle parentis onus.
nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
fragrantem Assyrio venit odore domum,
sed furtiva dedit rara munuscula nocte,
ipsius ex ipso dempta viri gremio.
quare illud satis est, si nobis is datur unis
quem lapide illa diem candidiore notat.

hoc tibi quo potui confectum carmine munus
pro multis, Alli, redditur officiis,
ne vestrum scabra tangat robigine nomen
haec atque illa dies atque alia atque alia.
huc addent divi quam plurima quae Themis olim
antiquis solita est munera ferre piis.
sitis felices et tu simul et tua vita,
et domus ipsa in qua lusimus, et domina,
et qui quam primo nobis terram dedit aufert,
a quo sunt primo tum omnia nata bona,
et longe ante omnes mihi quae me carior ipsost,
lux mea, qua viva vivere dulce mihist.

LXIX.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum supposuisse femur,

non si illam rarae labefactes munere vestis
aut perluciduli deliciis lapidis.
laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
valle sub alarum trux habitare caper.
hunc metuunt omnes. neque mirum: nam mala valdest
bestia nec quicum bella puella cubet.
quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
aut admirari desine cur fugiunt.

LXX.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
in vento et rapida scribere oportet aqua.

LXXI.

Si quoi iure bono sacer alarum obstitit hircus,
aut si quem merito tarda podagra secat,
aemulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem,
mirifico est fato nactus utrumque malum.
nam quotiens futuit, totiens ulciscitur ambos:
illam adfligit odore, ipse perit podagra.

LXXII.

Dicebas quondam solum te nosse Catullum,
Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem.
dilexi tum te non tantum ut vulgus amicam,
sed pater ut gnatos diligit et generos.
nunc te cognovi: quare etsi inpensius uror,
multo mi tamen es vilior et levior.
qui potis est? inquis. quia amantem iniuria talis
cogit amare magis, sed bene velle minus.

LXXIII.

Desine de quoquam quicquam bene velle mereri
aut aliquem fieri posse putare pium.
omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne
iam iuvat: immo etiam taedet obestque magis,
ut mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

LXXIV.

Gellius audierat patruum obiurgare solere,
siquis delicias diceret aut faceret.
hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
uxorem et patruum reddidit Harpocratem.
quod voluit fecit: nam, quamvis inrumet ipsum
nunc patruum, verbum non faciet patruus.

LXXV.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam LXXXVII
vere, quantum a me Lesbia amata mea's.
nulla fides ullo fuit umquam in foedere tanta,
quanta in amore tuo ex parte reperta meast.
nunc est mens diducta tua, mea Lesbia, culpa, LXXV
atque ita se officio perdidit ipsa suo,
ut iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,
nec desistere amare, omnia si facias.

LXXVI.

Siqua recordanti benefacta priora voluptas
est homini, cum se cogitat esse pium,
nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo

divum ad fallendos numine abusum homines,
multa parata manent iam in longa aetate, Catulle,
ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt
aut facere, haec a te dictaque factaque sunt:
omnia quae ingratae perierunt credita menti.
quare cur te, cur iam amplius excrucies?
quin tu animo offirmas atque istinc teque reducis
et dis invitis desinis esse miser?
difficile est longum subito deponere amorem.
difficile est, verum hoc qua lubet efficias:
una salus haec est, hoc est tibi pervincendum,
hoc facias, sive id non pote sive pote.
o di, si vestrum est misereri, aut si quibus umquam
extremo iam ipsa in morte tulistis opem,
me miserum adspicite et, si vitam puriter egi,
eripite hanc pestem perniciemque mihi.
ei mihi, subrepens imos ut torpor in artus
expulit ex omni pectore laetitias!
non iam illud quaero, contra ut me diligat illa,
aut, quod non potis est, esse pudica velit:
ipse valere opto et taetrum hunc deponere morbum.
o di, reddite mi hoc pro pietate mea.

LXXVII.

Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amico
(frustra? immo magno cum pretio atque malo),
sicine subrepsti mi atque intestina perurens
ei! misero eripuisti omnia nostra bona?
eripuisti, heu heu nostrae crudele venenum
vitae, heu heu nostrae pestis amicitiae.
sed nunc id doleo, quod purae pura puellae LXXVIII 7
savia conminxit spurca saliva tua.
verum id non inpune feres: nam te omnia saecla
noscent et qui sis fama loquetur anus.

LXXVIII.

Gallus habet fratres, quorum est lepidissima coniunx
alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus: nam dulces iungit amores,
cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus nec se videt esse maritum,
qui patruus patrui monstret adulterium.

LXXIX.

Lesbius est pulcer: quid ni? quem Lesbia malit
quam te cum tota gente, Catulle, tua.
sed tamen hic pulcer vendat cum gente Catullum,
si tria notorum savia reppererit.

LXXX.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
hiberna fiant candidiora nive,
mane domo cum exis et cum te octava quiete
e molli longo suscitat hora die?
nescio quid certe est: an vere fama susurrat
grandia te medii tenta vorare viri?
sic certe est: clamant Victoris rupta miselli
ilia, et emulso labra notata sero.

LXXXI.

Nemone in tanto potuit populo esse, Iuventi,
bellus homo, quem tu diligere inciperes,
praeterquam iste tuus moribunda ab sede Pisauri
hospes inaurata pallidior statua,
qui tibi nunc cordi est, quem tu praeponere nobis
audes et nescis quod facinus facias.

LXXXII.

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum
aut aliud siquid carius est oculis,
eripere ei noli, multo quod carius illi
est oculis seu quid carius est oculis.

LXXXIII.

Lesbia mi praesente viro mala plurima dicit:
haec illi fatuo maxima laetitiast.
mule, nihil sentis. si nostri oblita taceret,
sana esset: nunc quod gannit et obloquitur,
non solum meminit, sed, quae multo acrior est res,
irata est, hoc est, uritur et coquitur.

LXXXIV.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
dicere, et insidias Arrius hinsidias,
et tum mirifice sperabat se esse locutum,
cum quantum poterat dixerat hinsidias.
credo, sic mater, sic Liber avunculus eius,
sic maternus avus dixerat atque avia.
hoc misso in Syriam requierant omnibus aures:
audibant eadem haec leniter et leviter,
nec sibi postilla metuebant talia verba,
cum subito adfertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
iam non Ionios esse, sed Hionios.

LXXXV.

Odi et amo. quare id faciam, fortasse requiris.
nescio, sed fieri sentio et excrucior.

LXXXVI.

Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,
recta est. haec ego sic singula confiteor,
totum illud formosa nego: nam nulla venustas,
nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est, quae cum pulcerrima totast,
tum omnibus una omnis surripuit Veneres.

LXXXVIII.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
prurit et abiectis pervigilat tunicis?
quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
ecquid scis quantum suscipiat sceleris?
suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys
nec genitor nympharum abluit Oceanus:
nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat ultra,
non si demisso se ipse voret capite.

LXXXIX.

Gellius est tenuis: quid ni? cui tam bona mater
tamque valens vivat tamque venusta soror
tamque bonus patruus tamque omnia plena puellis
cognatis, quare is desinat esse macer?
qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere non est,
quantumvis quare sit macer invenies.

XC.

Nascatur magus ex Gelli matrisque nefando
coniugio et discat Persicum aruspicium:
nam magus ex matre et gnato gignatur oportet,

si vera est Persarum inpia relligio,
gratus ut accepto veneretur carmine divos
omentum in flamma pingue liquefaciens.

XCI.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
in misero hoc nostro, hoc perdito amore fore,
quod te non nossem bene constantemve putarem
aut posse a turpi mentem inhibere probro,
sed neque quod matrem nec germanam esse videbam
hanc tibi cuius me magnus edebat amor.
et quamvis tecum multo coniungerer usu,
non satis id causae credideram esse tibi.
tu satis id duxti: tantum tibi gaudium in omni
culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.

XCII.

Lesbia mi dicit semper male nec tacet umquam
de me: Lesbia me dispeream nisi amat.
quo signo? quia sunt totidem mea: deprecor illam
adsidue, verum dispeream nisi amo.

XCIII.

Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere,
nec scire utrum sis albus an ater homo.

XCIV.

Mentula moechatur. moechatur mentula: certe.
hoc est, quod dicunt, ipsa olera olla legit.

XCV.

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem
quam coepta est nonamque edita post hiemem,
milia cum interea quingenta † Hortensius uno
. . . .
Zmyrna cavas Satrachi penitus mittetur ad undas,
Zmyrnam cana diu saecula pervoluent.
at Volusi annales Paduam morientur ad ipsam
et laxas scombris saepe dabunt tunicas.

XCV[a].

Parva mei mihi sint cordi monumenta sodalis:
at populus tumido gaudeat Antimacho.

XCVI.

Si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris
accidere a nostro, Calve, dolore potest,
quo desiderio veteres renovamus amores
atque Orco mersas flemus amicitias,
certe non tanto mors inmatura dolorist
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

XCVII.

Non, ita me di ament, quicquam referre putavi,
utrumne os an culum olfacerem Aemilio.
nilo mundius hoc, niloque inmundior ille,
verum etiam culus mundior et melior:
nam sine dentibus est. dentis os sesquipedalis,
gingivas vero ploxeni habet veteris,
praeterea rictum qualem diffissus in aestu

meientis mulae cunnus habere solet.
hic futuit multas et se facit esse venustum,
et non pistrino traditur atque asino?
quem siqua attingit, non illam posse putemus
aegroti culum lingere carnificis?

XCVIII.

In te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti,
id quod verbosis dicitur et fatuis:
ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
culos et crepidas lingere carpatinas.
si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
hiscas: omnino quod cupis efficies.

XCIX.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuventi,
saviolum dulci dulcius ambrosia.
verum id non inpune tuli: namque amplius horam
suffixum in summa me memini esse cruce,
dum tibi me purgo nec possum fletibus ullis
tantillum vestrae demere saevitiae.
nam simul id factum est, multis diluta labella
guttis abstersisti omnibus articulis,
ne quicquam nostro contractum ex ore maneret,
tamquam conmictae spurca saliva lupae.
praeterea infesto miserum me tradere Amori
non cessasti omnique excruciare modo,
ut mi ex ambrosia mutatum iam foret illud
saviolum tristi tristius helleboro.
quam quoniam poenam misero proponis amori,
numquam iam posthac basia surripiam.

C.

Caelius Aufilenum et Quintius Aufilenam
  flos Veronensum depereunt iuvenum,
hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod dicitur, illud
  fraternum vere dulce sodalitium.
cui faveam potius? Caeli, tibi: nam tua nobis
  per facta exhibita est unica amicitia,
cum vesana meas torreret flamma medullas.
  sis felix, Caeli, sis in amore potens.

CI. at brothers grave

Multas per gentes et multa per aequora vectus
  advenio has miseras, frater, ad inferias,
ut te postremo donarem munere mortis
  et mutam nequiquam adloquerer cinerem,
quandoquidem fortuna mihi te te abstulit ipsum,
  heu miser indigne frater adempte mihi.
nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
  tradita sunt tristis munera ad inferias,
accipe fraterno multum manantia fletu,
  atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

CII.

Si quicquam tacito commissum est fido ab amico,
  cuius sit penitus nota fides animi,
meque esse invenies illorum iure sacratum,
  Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

CIII.

Aut sodes mihi redde decem sestertia, Silo,
  deinde esto quamvis saevus et indomitus:

aut, si te nummi delectant, desine quaeso
leno esse atque idem saevus et indomitus.

CIV.

Credis me potuisse meae maledicere vitae,
ambobus mihi quae carior est oculis?
non potui, nec, si possem, tam perdite amarem.
sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

CV.

Mentula conatur Pipleum scandere montem:
musae furcillis praecipitem eiciunt.

CVI.

Cum puero bello praeconem qui videt esse,
quid credat, nisi se vendere discupere?

CVII.

Si quoi quid cupido optantique obtigit umquam
insperanti, hoc est gratum animo proprie.
quare hoc est gratum nobisque est carius auro,
quod te restituis, Lesbia, mi cupido,
restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te
nobis. o lucem candidiore nota!
quis me uno vivit felicior, aut magis hac res
optandas vita dicere quis poterit?

CVIII.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
  spurcata inpuris moribus intereat,
non equidem dubito quin primum [illegible]ica bonorum
  lingua execta avido sit data vul[illegible],
effossos oculos voret atro gutture corvus,
  intestina canes, cetera membra lupi.

CIX.

Iucundum, mea vita, mihi proponis amorem
  hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.
di magni, facite ut vere promittere possit
  atque id sincere dicat et ex animo,
ut liceat nobis tota producere vita
  aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

CX.

Aufilena, bonae semper laudantur amicae:
  accipiunt pretium, quae facere instituunt.
tu, promisisti mihi quod mentita, inimica's;
  quod nec das et fers saepe, facis facinus.
aut facere ingenuae est, aut non promisse pudicae,
  Aufilena, fuit: sed data corripere
fraudando . . . . . plus quam meretricis avaraest,
  quae sese toto corpore prostituit.

CXI.

Aufilena, viro contentam vivere solo,
  nuptarum laus e laudibus eximiis:

sed cuivis quamvis potius succumbere par est,
quam matrem fratres ex patruo parere.

CXII.

Multus homo es, Naso; neque tecum multus homo est qui
descendit: Naso, multus es et pathicus.

CXIII.

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Maeciliam: facto consule nunc iterum
manserunt duo, sed creverunt milia in unum
singula. fecundum semen adulterio.

CXIV.

Firmano saltu non falso Mentula dives
fertur, qui tot res in se habet egregias,
aucupia, omne genus piscis, prata, arva ferasque.
nequiquam: fructus sumptibus exuperat.
quare concedo sit dives, dum omnia desint.
saltum laudemus, dum modulo ipse egeat.

CXV.

Mentula habet iuxta triginta iugera prati,
quadraginta arvi: cetera sunt maria.
cur non divitiis Croesum superare potis sit,
uno qui in saltu tot bona possideat,
prata, arva, ingentes silvas saltusque paludesque

usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum?
omnia magna haec sunt, tamen ipsest maximus ultro,
non homo, sed vero mentula magna minax.

CXVI.

Saepe tibi studioso animo venante requirens
carmina uti possem mittere Battiadae,
qui te lenirem nobis, neu conarere
tela infesta meum mittere in usque caput,
hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem,
Gelli, nec nostras hic valuisse preces.
contra nos tela ista tua evitamus amictu:
at fixus nostris tu dabi' supplicium.

FRAGMENTA.

I.

At non effugies meos iambos.

Porphyrio et commentator Cruquianus ad Horat. carm. I 16 s. f.

II.

Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
qua domus tua Lampsaci est quaque lege Priapi.
nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia ceteris ostriosior oris.

Terentianus Maurus v. 2755 ss., p. 406 K., qui adlatis in exemplum his Priapeis 'plures similes sic conscripsisse Catullum' testatur. praeterea versum primum adferunt Marius Victorinus p. 119, 6 et 151, 9 K., Atilius Fortunatianus p. 292, 14 K., Caesius Bassus p. 260, 14 K., Pseudocensorinus p. 615, 12 K. denique versuum tertii et quarti partes priores laudat Marius Victorinus p. 151, 22 s. K. — v. 2 *quaque lege Priapi*, i. e. apud Priapenos, Buechelerus in prooem. ind. schol. Bonnens. a. 1878/79, p. 26. QVAQVE PRIAPe editio princeps Terentiani. *quaque silva Priape* Scaliger. *Lampsaci erit quaque Priape* Lachmannus ad Terentianum l. l. *usque quaque, Priape* Keilius.

III.

– ⏑ – ⏑ ⏑ de meo ligurrire libidost.

Nonius p. 134 M. 'Catullus Priapo (*Catulus priopo* codices) de — — libido est', ubi *Priapeo* Lachmannus recte, ut videtur. neque enim mihi fidem fecit Birtius ant. Buchwesen p. 403,

qui nomine *Priapo* ad ipsa verba Catulli tracto non versus priapei, sed systematis e glyconeis et pherecrateis conpositi reliquias adgnoscendas esse putat.

IV.

Plinius nat. hist. XXVIII 2 (4), p. 171 Detl.: 'hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos proximeque Vergilii incantamentorum amatoria imitatio.'

Alia quaedam aut valde dubia aut palam falso pro fragmentis Catullianis habita plane omittenda putavi. quae videre licet in editionibus Baehrensii et Ellisii.

INDICES.

I. INDEX NOMINUM ET RERUM.

II. INDEX GRAMMATICUS.

PLUTARCHI vitae inter se comparatae. Edidit IMM. BEKKER.

Octavausgabe. 5 Voll. ℳ 8,40.

Vol. 1. ℳ 1,80. — Vol. 2. ℳ 2,10.
Vol. 3. ℳ 1,50. — Vol. 4. ℳ 1,50.
Vol. 5. ℳ 1,50.

Daraus einzeln:

1. Theseus et Romulus, Lycurgus et Numa. Solon et Poplicola. ℳ 0,90.
2. Themistocles et Camillus, Pericles et Fabius Maximus, Alcibiades et Coriolanus. ℳ 0,90.
3. Timoleon et Aemilius Paulus, Pelopidas et Marcellus, Aristides et Cato, Philopoemen et Flamininus. ℳ 1,20.
4. Pyrrhus et Marius, Lysander et Sulla, Cimon et Lucullus. ℳ 1,20.
5. Nicias et Crassus, Sertorius et Eumenes, Agesilaus et Pompeius. ℳ 1,20.
6. Alexander et Caesar. ℳ 0,75.
7. Phocion et Cato minor, Agis et Cleomenes, Tib. et C. Gracchi. ℳ 0,90.
8. Demosthenes et Cicero, Demetrius et Antonius. ℳ 0,90.
9. Dio et Brutus, Artaxerxes et Aratus. Galba et Otho. ℳ 0,90.

Taschenausgabe. 5 Voll. ℳ 7,80.

Vol. 1. ℳ 1,50. — Vol. 2. ℳ 1,80.
Vol. 3. ℳ 1,50. — Vol. 4. ℳ 1,50.
Vol. 5. ℳ 1,50.

Prachtausgabe. 5 Voll. ℳ 21,00.

Vol. 1. ℳ 4,50. — Vol. 2. ℳ 5,25.
Vol. 3. ℳ 3,75. — Vol. 4. ℳ 3,75.
Vol. 5. ℳ 3,75.

SOPHOCLIS tragoediae. Edidit THEODORUS BERGK.

Octavausgabe. ℳ 1,50.

Jede Tragoedie einzeln ℳ 0,30.

Taschenausgabe. ℳ 1,35.

Jede Tragoedie einzeln ℳ 0,30.

Prachtausgabe. ℳ 4,50.

THUCYDIDIS historia belli peloponnesiaci. Edidit J. M. STAHL.

Octavausgabe. 2 Voll. ℳ 2,40.

Vol. 1. ℳ 1,20. — Vol. 2. ℳ 1,20.

Prachtausgabe. 2 Voll. ℳ 6,00.

Vol. 1. ℳ 3,00. — Vol. 2. ℳ 3,00.

XENOPHONTIS opera. Edidit GUSTAVUS SAUPPE.

Octavausgabe. 5 Voll. ℳ 3.90.

Vol. 1. Cyropaedia. ℳ 0,90.
Vol. 2. Anabasis. ℳ 0,75.
Vol. 3. Commentarii. Apologia Socratis. ℳ 0,45.
Vol. 4. Historia Graeca. ℳ 0,90.
Vol. 5. Scripta minora. ℳ 0,90.

Taschenausgabe. 5 Voll. ℳ 3,75.

Vol. 1. ℳ 0,90. — Vol. 2. ℳ 0,75.
Vol. 3. ℳ 0,45. — Vol. 4. ℳ 0,75.
Vol. 5. ℳ 0,90.

Prachtausgabe. 5 Voll. ℳ 9,75.

Vol. 1. ℳ 2,25. — Vol. 2. ℳ 1,80.
Vol. 3. ℳ 1,20. — Vol. 4. ℳ 2,25.
Vol. 5. ℳ 2,25.

C. IULII CAESARIS commentarii cum supplementis A. Hirtii et aliorum. Edidit F. KRANER.

Octavausgabe. ℳ 1,50.

Daraus einzeln:

De bello Gallico. ℳ 0,75.
De bello Civili. ℳ 0,60.

Taschenausgabe. ℳ 1,35.

Daraus einzeln:

De bello Gallico. ℳ 0,75.
De bello civili. ℳ 0,45.

Prachtausgabe. ℳ 4.50.

C. VALERI CATULLI VERONENSIS carmina B. SCHMIDT recognovit.

Editio Maior. ℳ 4,00.

Editio Minor. ℳ 0,60.

M. TULLII CICERONIS opera quae supersunt omnia ediderunt J. G. BAITER et C. L. KAYSER.

Octavausgabe. 11 Voll. ℳ 21,75.

Vol. 1. ℳ 1,35. — Vol. 2. ℳ 2,10.
Vol. 3. ℳ 2,10. — Vol. 4. ℳ 2,10.
Vol. 5. ℳ 2,10. — Vol. 6. ℳ 2,10.
Vol. 7. ℳ 1,80. — Vol. 8. ℳ 1,80.
Vol. 9. ℳ 2,10. — Vol. 10. ℳ 2,10.
Vol. 11. ℳ 2,10.

Daraus einzeln:

1. Rhetorica ad Herennium. ℳ 0,75.
2. De inventione. ℳ 0,75.
3. De oratore. ℳ 1,00.
4. Brutus. ℳ 0,60.
5. Orator. ℳ 0,45.
6. De optimo genere oratorum. Partitiones oratoriae. Topica. ℳ 0,45.
7. Orationes pro P. Quinctio, pro Sex. Roscio Amerino, pro Q. Roscio Comoedo. ℳ 0,60.
8. Divinatio in Q. Caecilium, actio in C. Verrem prima. ℳ 0,45.
9. Actionis in C. Verrem secundae sive accusationis libri I—V. ℳ 1,35.
10. Orationes pro M. Tullio, pro M. Fonteio, pro A. Caecina, de imperio Cn. Pompeii (pro lege Manilia). ℳ 0,45.
11. Orationes pro A. Cluentio Habito, de lege agraria tres, pro C. Rabirio perduellionis reo. ℳ 0,75.
12. Orationes in L. Catilinam quattuor, pro L. Murena, pro L. Flacco. ℳ 0,60.
13. Orationes pro P. Sulla, pro A. Licinio Archia poeta. ℳ 0,45.
14. Orationes post reditum in senatu et post reditum ad Quirites habitae, de domo sua, de haruspicum responso. ℳ 0,60.
15. Orationes pro P. Sestio, in P. Vatinium. pro M. Caelio. ℳ 0,60.
16. Orationes de provinciis consularibus, pro L. Cornelio Balbo, in L. Calpurnium Pisonem, pro Cn. Plancio, pro M. Aemilio Scauro, pro C. Rabirio Postumo. ℳ 0,60.
17. Orationes pro T. Annio Milone, pro M. Marcello, pro Q. Ligario, pro rege Deiotaro. ℳ 0,45.
18. Orationes in M. Antonium Philippicae XIV. ℳ 0,90.

Fortsetzung auf der vierten Seite dieses Umschlages.

19. Academica. ℳ 0,60.
20. De finibus bonorum et malorum. ℳ 0,90.
21. Tusculanae disputationes. ℳ 0,75.
22. De deorum natura ad M. Brutum libri tres. ℳ 0,60.
23. De divinatione libri duo, de fato liber. ℳ 0,60.
24. Cato major de senectute, Laelius de amicitia. ℳ 0,45.
25. De officiis ad Marcum filium libri tres, paradoxa Stoicorum ad M. Brutum, Timaeus. ℳ 0,60.
26. De re publica sex librorum reliquiae. ℳ 0,60.
27. De legibus libri tres. ℳ 0,60.
28. Epistolarum ad familiares libri I—IV. ℳ 0,60.
29. Epist. ad familiares lib. V—VIII. ℳ 0,60.
30. Epist. ad familiares lib. IX—XII. ℳ 0,60.
31. Epist. ad familiares lib. XIII-XVI. ℳ 0,60.
32. M. Tullii Ciceronis epistolae ad Q. fratrem, Q. Ciceronis de petitione consulatus ad M. fratrem liber. ℳ 0,45.
33. Epist. ad Atticum libri I—IV. ℳ 0,60.
34. Epist. ad Atticum libri V—VIII. ℳ 0,60.
35. Epist. ad Atticum libri IX—XII. ℳ 0,60.
36. Epist. ad Atticum lib. XIII—XVI. ℳ 0,60.
37. Epist. ad Brutum libri duo et epistola ad Octavianum. ℳ 0,60.

Prachtausgabe. 11 Voll. ℳ 46,50.
Vol. 1. ℳ 3,00. — Vol. 2. ℳ 4,50.
Vol. 3. ℳ 4,50. — Vol. 4. ℳ 4,50.
Vol. 5. ℳ 4,50. — Vol. 6. ℳ 4,50.
Vol. 7. ℳ 3,75. — Vol. 8. ℳ 3,75.
Vol. 9. ℳ 4,50. — Vol. 10. ℳ 4,50.
Vol. 11. ℳ 4,50.

CORNELII NEPOTIS vitae et fragmenta. Edidit G. AEN. KOCH.
Octavausgabe. ℳ 0,45.
Daraus einzeln: Vitae. ℳ 0,30.
Taschenausgabe. ℳ 0,30.
Prachtausgabe. ℳ 1,20.

Q. HORATII FLACCI opera omnia. Edidit GODOFREDUS STALLBAUM.
Octavausgabe. ℳ 1,00.
Taschenausgabe. ℳ 0,75.
Prachtausgabe. ℳ 3,00.

D. IUNII IUVENALIS saturae. Edidit O. RIBBECK.
Octavausgabe. ℳ 0,45.
Taschenausgabe. ℳ 0,45.
Prachtausgabe. ℳ 1,20.

TITI LIVI ab urbe condita libri. Edidit MARTINUS HERTZ.
Octavausgabe. 4 Voll. ℳ 7,00.
Vol. 1. Pars 1. ℳ 1,00. Pars 2. ℳ 1,00.
Vol. 2. Pars 1. ℳ 1,00. Pars 2. ℳ 1,00.
Vol. 3. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 4. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Taschenausgabe. 4 Voll. ℳ 5,70.
Vol. 1. Pars 1. ℳ 0,90. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 2. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 3. Pars 1. ℳ 0,60. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 4. Pars 1. ℳ 0,60. Pars 2. ℳ 0,60.
Prachtausgabe. 4 Voll. ℳ 23,55.
Vol. 1. ℳ 6,75. — Vol. 2. ℳ 6,75.
Vol. 3. ℳ 5,25. — Vol. 4. ℳ 4,80.

P. OVIDII NASONIS carmina. Ed. ALEXANDER RIESE.
Octavausgabe. 3 Voll. ℳ 2,90.
Vol. 1. ℳ 1,00. — Vol. 2. ℳ 0,90.
Vol. 3. ℳ 1,00.
Prachtausgabe. 3 Voll. ℳ 8,40.
Vol. 1. ℳ 2,70. — Vol. 2. ℳ 2,70.
Vol. 3. ℳ 3,00.

PHAEDRI, AUGUSTI LIBERTI, fabulae Aesopiae. Ed. A. RIESE.
Octavausgabe. ℳ 0,45.

G. SALUSTI CRISPI operum reliquiae. Edidit F. D. GERLACH.
Octavausgabe. ℳ 0,75.
Daraus einzeln:
Catilina et Iugurtha. ℳ 0,45.
Taschenausgabe. ℳ 0,60.
Daraus einzeln:
Catilina et Iugurtha. ℳ 0,45.
Prachtausgabe. ℳ 2,25.

CORNELII TACITI opera. Edidit FR. HAASE.
Octavausgabe. 2 Voll. ℳ 2,40.
Vol. 1. ℳ 1,20. — Vol. 2. ℳ 1,20.
Daraus einzeln:
Germania, Agricola, Dialogus de oratoribus. ℳ 0,45.
Taschenausgabe. 2 Voll. ℳ 2,10.
Vol. 1. ℳ 1,5. — Vol. 2. ℳ 1,5.
Prachtausgabe. 2 Voll. ℳ 7,50.
Vol. 1. ℳ 3,75. — Vol. 2. ℳ 3,75.

P. TERENTI AFRI comoediae Recensuit CAROLUS DZIATZKO.
Octavausgabe. ℳ 1,20.

ALBII TIBULLI elegiae cum carminibus Pseudotibullianis. Ed. EDUARDUS HILLER.
Octavausgabe. ℳ 0,60.

P. VERGILI MARONIS carmina. Edidit GEORGIUS THILO.
Octavausgabe. ℳ 1,50.
Daraus einzeln:
Bucolica et Georgica. ℳ 0,45. Aeneis. ℳ 0,90.

P. VERGILII MARONIS opera. Edidit HERM. PALDAMUS.
Octavausgabe. ℳ 1,35.
Daraus einzeln:
Bucolica et Georgica. ℳ 0,45. Aeneis. ℳ 0,90.
Taschenausgabe. ℳ 1,20.
Daraus einzeln:
Bucolica et Georgica. ℳ 0,30. Aeneis. ℳ 0,75.
Prachtausgabe. ℳ 4,50.

34, 45, 69, 62, 65, 64